

1
7
392







BENIAMINI PRIOLI
AB EXCESSV
LVDOVICI XIII.
DE REBVS
GALLICIS,
HISTORIARVM
LIBRI XII.

Ad Sereniſsimum Principem, et Auguſtum Senatum Reipublicæ Venetorum.



Carolopoli. Et veneunt

PARISIIS,
Apud FREDERICVM LEONARD, viâ Iacobæâ, ad Scutum Venetum.

M. DC. LXV.

CVM PRIVILEGIO.

SERENISSIMO DVCI, ET AVGVSTO SENATVI REIPVBLICÆ VENETORVM,

BENIAMINVS PRIOLVS
Felicitatem, Victorias, Triumphos.

PRIMVM hoc ingenij mei monumentum est, SERENISSIME PRINCEPS, EXCELSI PROCERES; quod inclyto nomini vestro libens

meritò eo conſecratum, eâ linguâ, quæ olim generis humani vinculum, nunc conditorium manet Scientiarum. Regimen Mazzarineum eſt, ſynopſis Hiſtorica rerum noſtrarum, ab exceſſu LVDOVICI XIII. in hunc vſque diem, & beatiſſimi ſæculi ortum, quo Pacis ſerenum in nos defluxit. Splendorem & tutelam à vobis mutuatur contra calumniam & livorem. Suſcipite, PROCERES, & lucem circumdate; nam hoc arbitrij veſtri eſt, qui attolere & deprimere poteſtis, vel ſolâ judicij veſtris famâ. Vario nomine congruit vobis hæc ſcriptio, qui veſtigia veſtræ prudentiæ, in nuperis

noſtris rebus agnoſcetis. Has ferventes æſtu civilis diſſidij ex maximè turpido ſtatu ingloriosiſſimum tranſtulit, apud nos Ductor; grande decus vobis aſcitus, qui æterno fædere, & germanitate publicæ rationis, ita nobis cohæretis, vt adverſa noſtra Reipublicæ veſtræ dolori ſemper fuerint; & quæ proſpera huic Imperio contigêre, læti acceperitis, à primordijs vtriuſque coævæ gentis. Opus hoc plenum Politicis monitis & exemplis, ad quem juſtiùs; quàm ad Politiæ ſapientiſſimos Rectores? cui convenientiùs, quàm qui exemplum ſunt cæteris mortalibus perfecti regiminis? Argumentum

vniverſum, virtutes, aut Ignavia. Illas narrando ſuggerimus; & vos grande exemplar eſtis, qui habuiſtis eas ſemper, & habetis. Hanc amolimur. Cujus expertes in omni ævo, aut neſciviſtis, aut ſuperaſtis. Prorsùs illorum æmuli, qui nullo Fortunę vulnere territi, poſt Trebiam, Thraſymenum, & Cannas fremebant; nunquam damnis ſuccubuiſtis: & potentiſſimos rerum humanarum Thracas toties cedere coëgiſtis veſtris copiis & veſtris Divis; dum primores Europę Reges inter ſe ſęviebant frivolo obtentu, in exitium Chriſtiani Orbis, cujus propugnaculum ſimul & miraculm eſtis. Non ſolùm materies huc

vos vocat & depoſcit honeſtandæ fronti hujus Laboris, exigui mole, ęterni forſan futuri; ſed magis gratus animus meus, qui veſtra munera vobis offert: non aliter quàm cùm Deo ſacra facimus & donum ponimus, noſtrâ id fit non ipſius cauſâ. Nam ſi aliquis ſum, PROCERES, ſi monſtrandus fatis, ſi inſerendus eorum numero, qui immortalitatem non pollicentur. ſed donant; gratia vobis ſit in quorum ſinu ſum educatus. Primùm illa veſtra Antenorea. altrix mei, dulcis Artium parens, ferax ſeminarium bonę frugis, lęta Virtutem ſeges, me ſuis pręceptis impuit; quam quanti ęſtimatis hinc diſcimus, quòd vna illa Aca-

demia Patavina plures eruditos habeat, quàm aliorum tota Regna. Hęc me docuit à celsâ mentis arce deſpicere errantes, & ex veris cauſis ſcire ſub quantis tenebris jaceret mortalium dies. Hinc me excepêre Venetiæ, cor & cura Cœli, officina Prudentiæ Sapientię palęſtra: vbi limen adij veſtri Regiminis, quod non monſtrat virum Principem conflari ex dolis malis, perfidiâ, & obdurato probitatis contemptu, non ex futilibus technis aut aſtu; ſed ex bonâ fide, cujus apud vos venerabile nomen dextram ſuam, ſalutis humanę pignus, oſtentat. Felix inſtitutorum Reſpublica, quibus velut

vincu-

vinculis adhuc manet intrepida contra lapſum, ſupra tria fere ſecula, millenarij ævi firmate gaudens. Quid mirum, vbi tot Virtutes cardines ſunt, quibus illa machina immortalis circumvoluitur? Leges habetis paucas & optimas, vt medicamenta, quæ nec multa, nec varia eſſe debent. Cauſidicina, cui adhæret improbitas, pluſquàm alibi terrarum, vobis coercita: Nullus ad longas lites vadatur. Inter vos mira cõcordia, cujus cæmento, res veſtræ conſtant, & auguror, conſtabunt in æternum. Qui præpolent, ſolis beneficijs potentiam oſtendunt: inferiores non invidi, obſequio ſe ſubmit-

tunt, & fastigio vestro gaudent. Simultates Reipublicæ donatis, & offensas Patriæ remittitis: Non certatur nisi eam amando, quæ vnicuique Magnatum peculium est & patrimonium. Nullibi tanta fideli silentio merces, nec arcana vspiam tanta taciturnitate cohibentur: ita vt sicut apud alias gentes pruritus ingens evulgandi, Venetijs libido sit obstinata tacendi; quod pene incredibile in ingenuâ Pube, quæ garrulitatem, mendacii comitem, insitâ judicii rectitudine, & per præcepta educationis damnat. Petitura assistit Curiæ Foribus, Concilij publici Spectatrix, antequam consors; Ab

ineunte ætate assuescit paulatim suis honoribus: quorum æqui partitores & virtutum judices, neminem debitis frustratis; nec eorum specie præstantissimos sumptibus exhauritis. Evectis ad dignitates prior humilitas, non insolentia, rependitur, vt fere vbique terrarum: Privati non submissè paretis; & cùm fortuna attollit, cum modo imperatis. Intima rerum penetrant Iuvenes, quia senibus auscultant, magnam indolem pertinaci verborum sobrietate dissimullantes; abjectis ętatis avocamentis, cùm glorię indulgendum: & solitis semper crescere, nihil illis incompertum aut novum. Publicę pecu-

nię avari eſtis, veſtræ parci, quam non quæritis, vt prodigatis, ſed ſuſtinendæ dignitati. In cultu non ſolùm modici, ſed tenues: ſic animi modeſtiam prodere decorum putatis. Et reverâ, non ſerica, non auro illuſę veſtes, ornamenta ſunt magnorum virorum, ſed argumenta levitatis. Plebi virtute eminetis, habitu conſentitis. Non ſupellex reliquo cenſui imperat: Non miniſterij varietas, non copia ſatellitum, vobis obſtrepit. Atticâ ſeveritate luxum mulctatis, qui populator opum, ingenioſus ſui deſtructor, in propria damna furit, Rerum publicarum labes, Statuum everſor. Inanes ſolidi boni,

aſtitio

aſcititio illo refulgent; & virtutis inopes diffundunt ſe pompâ, & epularum lautitiis aliam ſubinde famem irritantibus. Quàm admirandum! vos qui non ſemel Reges, modicos in omni paratu cives componere; & perſonam Principum, quales omnes eſtis, ſub Schemate levi occulere. Majeſtas autem illa, quam quocunque circumfertis; præſertim per Legatos, qui ſtirpe inclyti dignationem Reipublicæ vbique oſtendunt; pręcipuam originem habet ab internâ veſtrâ magnitudine, & mater eſt honoris ac reverentię vobis debitę & delatæ; quam comitatur Gloria, fax honeſtę men-

tis, Deorum immortalium propria, aut eorum, qui ab illis, vt vos, proximi cenſentur. Hæc omnia vos decorant: ſed fulcrum & baſis rerum veſtrarum Religio, quâ Subditi meliores tranquillioreſque fiũt. Impreſſus vobis vetus, & à Majoribus exceptus ſermo, quòd omnia à Deo & per Deum, nobis ſint conſtituta. Illud credere laudabile, ſed ſicut vos, vitatâ ſcilicet impietate, & ſuperſtitione, vtrâque magnâ peſte. Ludibria imbecillitatis humanæ rudibus ſæculis valida, in ſpeciem tantùm à vobis accipiuntur; qui non cogitis ad Fidem nolentes, ſed veram de ſacris rebus ſententiam,

à Deo humanis mentibus insinuari existimatis, nec gratam Numini pietatem, quæ non sponte procedat: Pravas autem opiniones, spatijs temporum debellari, non vi atque Imperio eorum, qui Ministerio sacro allecti omnia asperant, & ex eo nihil præter nomen & reditus retinent. Non hos vestris consilijs adjungitis, gnari tales, vt plurimùm infidos animi, & formidandæ audaciæ; nullâ animi temperie, apud Principum cogitationes & Reipublicæ intima periculosè solertes. Sacrorum venerabundi quidem, sed eorum Ministris, possidendi modum præscribitis. Vestris legibus

cautum, ne invito Senatu, Sacerdotia augeātur; Irreligiosum nempe creditis, convelli pias liberalitates, & suprema morientium judicia verti, in quod non ipsi dederunt. Inter neglectum manifestum rerum Divinarum, & servilem Dei metum, tanquam inter duos scopulos, feliciter navigatis. Hinc floret apud vos, immota illa & rigida Iustitia sine morarum tricis & ęnigmatibus juris, suum cuique tribuens: exinde tot populi sub æquis legibus in mores & imperium vestrum coaluêre. Hoc astruitis magnis institutis: nihil apud vos venale; Officia publica, sunt præmia virtutis; & si quid contra-

rium eſt? difficilia tempora ſuasêre. Vectigalia moderata, nunquam turbato nummi precio, ſummi ferè & infimi ex æquo partiuntur: Opes inde emergentes non multitudine tractantiū & largiendi facilitate, dum partim ſinguli retentant, vt ſuas; partim profundunt, vt alienas; ante veros vſus interceptę pereunt. Tenuem ad res magnas pecuniam eblandimini, nunquam extorquendo; qui rebus modus dexter eſt: quare inde nullæ querelæ; & ſi ſunt, nunquam inquiritur, alieno Senatu ab omni in conviciatores vindictâ. neque ille deferentes audit, nec delatos punit: turpe ducens id re-

dere, cujus causa non præbetur; & mali tantùm Principis esse, ad fidem inclinare conscientiam. Hoc singulari prudentiæ ascribendum, quâ virtutum vestrarum velut apice, tot imminentium prę-visores, minaces nimbos depulistis; arbitri semper Orbis dissidentis, ambiti etiam cùm pressi: & in adversis, persuasistis, plus in vestrâ amicitiâ, quàm in multorum Regum splendidis promissis, esse præsidii. Atque hæc omnia quis non stupeat, externo milite & Duce? Principatûs vestri ars est, fidere peregrinis, non desuetæ virtutis insigne. Quàm hoc cautè! scilicet, ne vllus vestrûm militari gloriâ

ſuperbus, illud affectet, quod olim Romanam, veſtram germanam, peſſumdedit; Cujus cæteroquin magni imitatores, præſertim per exempla clementię. Illa vnico carcere contenta, ſępiùs vacuo: ego apud vos ſeptem annos vixi, & miſellum vnum vidi ſupplicio affectum, ingemente & illacrymante Iudice. Nulli Principi mitiores placuêre pœnę; & hoc præclaré: Non eſt enim majeſtas timeri, ſed immanitas; ac nihil pulcrius in faſtigio collocatis, quàm multarum rerum veniam dare, nullius petere, nec indigere. Hoc nos Galli feliciter probavimus. Quis enim tantum manſue-

tudinis, quantum experti ſumus, legit aut audivit? Pluſquàm octodecim anni fluxêre, cùm gladium niſi in hoſtes ſtrictum non vidimvs, per tot irritamenta ſeveritatis. Maluit qui ſupremæ curæ apud nos imminebat, & habenas temperabat publici fati, videri inveniſſe bonos, quàm feciſſe: ſic nullo grandi ſanguine publicam quietem firmavit, nec per eum mortes in ſecuritatem dominationis fiſco ceſsêre. Verecundiam peccandi lenitate fecit, ſecundante ex eo omnia ejus orſa proſperâ fortunâ, ad invidiam mirabundi Orbis. Hîc ille eſt, quem audiviſtis toties victorem, toties

Cardinalis Mazzarinus.

magna

magna meritum; ſed hujus præcipuè temporis auguſtâ ſpecie, quâ Galliæ ſalus & tanta decora rerum ipſi, ſecundùm Numen immortale, accepta feruntur: quem velut gloriȩ veſtræ culmen inſerviſtis albo tot Heroum, quorum Nomina ſubvecta Famȩ & Honoris curru volabunt per vltimas plagas; qui in vndis veſtrã libertatem fundarunt; qui jura mari poſuerunt; qui Pelaſgos & Amathuntida, Alcinoi Penates, Lares Vlyſſis, & Regna Iovi reptata, de quibus hodie tam pertinaciter pugnatur, vobis tributaria fecêre. O nullâ ſordidâ plebe contaminatus ſanguis, & nullo minoris thalami vi-

tio, ardor animi corruptus! Non ſi mihi mentis igneus vigor, ęquare dignè queam honores excelſæ Gentis, quæ exiguis orta finibus, remis profundum ingreſſa, cum ipſo ſole manus diſperſit. O patria! ô vaſti pelagi dominatrix! agnoſce tuum civem, vel ſolo nomine Prioli, tibi dilectum. Sic populi tui, ſub optimo Principe, optimum, id eſt tranquillum, ſtatum ęternùm habeant, & æternùm habere cupiant: ſic pacificas togas ſariſſæ perhorreſcant: ſic nunquam retro vertantur tua fata: ſic nunquam tuis ruinis ovans creſcat Ottomanus, ille ferox, ille altis ſemper ſimmi-

nens virtutibus; ſed floreat Imperium tuum ſine fine. Datum Lutetiæ, ipſis Calend. Ian. 1665.

ARGVMENTVM
OPERIS.

SOLVM æstimandum; & quo nihil illustrius ab omni ævo. Apud Gallos, succedente quinquenni puero, Reginam peregrinam, advenam MaZZarinum rexisse, Provincijs refractarijs, rebellibus populis, Principibus, & Senatu, contra nitentibus, Hispano & Anglo insidiante; Per hæc omnia Pace gloriosè sancitâ, nter amplexus Regis, Eum mori, in quem tot nfensa molimina, tot insidiæ, tot structa probra; Illud Magnum; in quo consideranda vt pulchritudo materiæ: Ita difficultas; In cæteris enim novitas Ipsa legentes intentos habet; Hîc nihil singulariter explicatum, nota, vulgata omnia, quò fit, vt elocutioni tantùm vacandum sit, in quâ, cum sola expectatur, satisfacere arduum.

BENIAMINI

BENIAMINVS PRIOLVS,

LECTORI.

ABSTINEO & calamum pono: Vtinam quod volui fecerim, sed, & sic mihi debetur, quia volui. Inter maximas ærumnas natus est hic fœtus, quem lincturus eram, si licuisset. Passim notabuntur vestigia minus alacris animi. Quid respondeam, non habeo. Humanæ imbecillitatis ingens patrocinium Necessitas. Non fama, sed requies mihi quæsita, fallendis innumeris tædijs; Ipse me damnavi in hanc arenam. Præterquam quod, non debet omnis materia æque splendescere. In Palatijs, nonnulla sunt vili peri-

stromate strata, quò splendor arcani Penetralis, major appareat. Quid oculis in humano corpore pulchrius? Quid turpius, (si daretur,) toto corpore oculato. Non me effundo in singulares narrationes; Breviloquio, forsan omnia complector. ideo repetitione opus, & sæpius legendus sum; Vt aqua maris in fundo dulcior. Tenebrosus sum, nec omnia in hoc opere liquent? Satis dixi ad eruendum diem, & Rerum noctem eliminandam. Nimis strictus sum? Vt quisque prudentissimus, ita astrictissimus, creber sensibus, densus mente, eloquio parcus. Laxo Historiam avocamentis: Digressiones vulgus voca; Hoc Polybij & Cominæi nostri exemplo, qui subinde ita nos instruunt salutaribus rarisque præceptis, Litterarum vterque rudis, vt ego, solo rerum vsu peritus, & naturali ingenij bonitate, non tam narro, quam ex professo doceo, sensus meos vbique revelans. Etsi nullas scolas, nec Academias vnquam viderim, & nullo nisi me præceptore vsus sim, nemo tamen me temerè debet arbitrari, nisi Latini Sermonis bene peritus. Procul Tetrici, & Morosi, immò Devoti. Tales me carpserunt lecto primo meo libro. Eorum flagello patientiam indulsi. Boni argumen-

rum talibus displicere. Jocosa quædam admixta sunt? Festivitati gravitas cessit, decorè se remittens, quod Viri Magni & Sancti fecerunt, gratiam placendi, vtilitati juvandi præferentes. Restant duo tela. Meum stilum, abruptum, inæquaqualem, immò, (vt verbis cujusdam scioli vtar,) nullum; Scatere paginam Centonibus & Furtis. Scias, ô blenne quisquis es, familiares mihi à puero antiquos scriptores, in aula & in castris aliquando lectos, nunc sese offerre, non vocatos, & abhinc quadraginta annis, ne quidem eos libasse, & dictasse totam hanc Historiam inter ambulandum, ne liturâ quidem imperatâ, tantum abest vt bis aliquid vnquam scripserim. Quam indignor, & colorem non teneo, quasi inter stolidos Hermas, nihil possim ex me ipso, nisi mendicem, & sim lacuna ex se arens, nisi alieno imbre impluatur. Puto me merito posse censeri, non solùm inter vivos fontes, sed quod sequitur, perennes. Meam indolem mea pagina depingit, non aliter quàm patrum vultus relucent in prole. Malè ageretur cum Rebus humonis, si cuique non liceret suo ore loqui. Vnde apud nos illa non jurisdictio, sed tyrannis, quæ cogit ad eandem eloquij formam no-

lentes. Volunt non ſcribi, ſed ædificari periodos, nec fundi verba, ſed glomerari, nec ſatis eſſe putant, cum idem dicant ſemper, niſi ſermonis ſpeciem invertant. Quicquid altum ſpirat, languentia ingenia, inflatum dicunt, in Latino eloquio ſemper ſuo Ciceroni, tanquam Pædagogo, addicti, ignari, mutari cum temporibus, formas dicendi, nec vnum eſſe eloquentiæ vultum, nec ſtatim deterius eſſe quod diverſum à Marco Tullio, Vitio malignitatis humanæ, vetera ſemper in laude, præſentia in faſtidio ponentis. Quàm exploſus, qui apud Lacedæmonios, in ſpondâ cujuſque lecti connubialis ſimulacrum apponi volebat, quô perfectius nihil poſſet aſpici, vt maritarum menti inſideret ſpecies pulchritudinis eximia, quam intuentes, in eaque defixæ, ad illius ſimilitudinem artem dirigerent concipiendi. Proſilijt vnus cerebroſus. Simos, *inquit*, habui proavos, & ſimâ prole, ſimum genus ſum propagaturus. Nec patiar vxorem figurare ſibi venerem, & ſimulacro adulterari. *Ego pariter inſurgo, & alta claraque voce ingero, non me didiciſſe puritatem, me neſcire periodos Academicas, hoc vnum me ſcire. Pectus & vim mentis eſſe, quæ diſertos facit, Nec vitam aut*

famam respecturam hos tabidos & humi serpentes. Sed hoc concedatur ignavo livori. in hoc opere Furta, Centones esse, ut debent esse in desitâ linguâ, sed tentent illi ejusmodi Centones, magno Virgilio à Faustino scurra exprobratos. Ego magni eos faciam, si per aliena vestigia, eant, tanquam in libero ingenij cursu, & ex mille particulis conflent uniforme & cohærens corpus, ac vario sermonis ductu, ita ornent, ut vitam & spiritum ab illis habeat, instar Phrygionum, qui unum aliquod Aulæum formant, ex varij coloris filo. Viri Illustres, ad quos solos scripsi, facile judicabitis, hos convitiatores, arancos esse, qui ex se quidem telam gignunt, sed aptam capiendis muscis, non apes, quæ ex alienis floribus mel suum libant, & ignavum pecus fucos, à præsepibus arcent; Quia fremitus tantùm ab illis, nulla mellatio; dummodo se aggregent, & sibilent instar viperarum. Aper gingiva inermi, nonnisi gregarius vagatur, armatus valido dente, solivagus est. Me forsan lucifugam Noctuam, & habitantem recessus, prosequetur fausta æstimatio peregrinæ gentis, nec me, sequens tacebit ætas.

OPERA BENIAMINI PRIOLI
BREVI EDENDA.

VITANDA IN VITA.
SEV
DE STVLTITIA HVMANÆ GENTIS.
LIB. IV.

QVÆSTIONVM NATVRALIVM.
SEV DE RE PLANTARIA.
VETERVM ET RECENTIORVM.
LIB. III.

OPVS EMVNCTVM TRIGINTA ANNORVM
MEDITATIO QVOD JAM CELEBRATVR SVB
APERTIORI TITVLO, ET FALSÒ NONNVLLI
SIBI ASSCRIPSERVNT.

DE VITA ET GESTIS HENRICI
ROHANNII DVCIS.

DE VITA ET MORIBVS CÆSARIS
CREMONINI.

VITA BENIAMINI PRIOLI

IVDICIVM DE SCRIPTORIBVS
GRÆCIS ET LATINIS.

EPISTOLARVM SENILIVM
AD MAXIMOS EVROPÆ
PROCERES.
CENTVRIA SINGVLARIS.

PRIVILEGE DV ROY.

LOVIS par la Grace de Dieu Roy de France & de Navarre; A Nos Amez & Feaux Conseillers Les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maistres des Requestes Ordinaires de Nostre Hostel, Baillifs, Seneschaux, leurs Lieutenans, & tous autres nos Officiers & Iusticiers qu'il appartiendra; SALVT. Nostre cher & bien amé le Sieur PRIOLO, nous a fait exposer qu'il a composé vn Ouvrage en Latin, qui a pour Titre; *Benjamini Prioli de Rebus Gallicis ab excessu* LVDOVICI XIII. *Historiarum Libri*; Lequel il donneroit volontiers au Public, s'il nous plaisoit de luy en accorder la permission par nos Lettres sur ce necessaires; Et desirant favorablement traitter ledit Exposant: NOVS, pour ces causes & autres à ce nous mouvans, luy avons permis & permettons par ces Presentes Signées de nostre main, de faire Imprimer, vendre & debiter en tous lieux de Nostre Obeïssance, par tel Imprimeur & Libraire qu'il voudra choisir, ledit Liure, en tel volume, tel marge, tel caractere, & autant de fois que bon luy semblera, durant vingt années, à compter du jour que ledit Liure sera achevé d'imprimer pour la premiere fois; Faisant deffenses à toutes personnes, de quelque qualité & condition qu'elles soient, d'imprimer, vendre, ny debiter en aucuns lieux de Nostre Obeïssance, sans le consentement dudit Sieur PRIOLO, ou de ceux qui auront droit de luy, sous pretexte d'augmentation, de correction, de changement de Titre, de

fauſſe marque, ou autrement, en quelque ſorte & maniere que ce ſoit, à peine de trois mil liure d'amande, payable ſans déport par chacun des contreuenans, applicable vn tiers à nous, vn tiers à l'Hoſtel-Dieu de Paris, & l'autre tiers audit Sieur PRIOLO, où au Libraire dont il ſe ſera ſeruy; De confiſcation des exemplaires contrefaits, & de tous dépens, dommages & intereſts: à condition qu'il ſera mis deux exemplaires dudit Liure en Noſtre Bibliotheque Publique, & vn en celle de Noſtre tres-chere & Feal Cheualier, Chancelier de France le Sieur SEGVIER, auant que de les expoſer en vente, à peine de nullité des Preſentes. Si vous mandons que de leur contenu vous faſſiez joüir pleinement & paiſiblement l'expoſant, comme auſſi ceux qui auront ſon droit, ſans ſouffrir qu'il y reçoiuent aucun empeſchement. Voulons qu'en mettant au commencement ou à la fin dudit Volume vn Extraict des Preſentes, elles ſoient tenuës pour deuëment ſignifiées, & que foy y ſoit adjouſtée, & aux Copies collationnées par l'vn de nos Amez & Feaux Conſeillers & Secretaire, comme au preſent Original. Commandons au Premier Noſtre Huiſſier, ou Sergent ſur ce requis; De faire pour l'execution des Preſentes, tous les Exploit neceſſaires, ſans demander autre permiſſion; CAR TEL EST NOSTRE PLAISIR. Nonobſtant Clameur de Haro, Chartre Normande, & autres Lettres à ce contraires. DONNÉ à Fontainebleau au mois de Decembre, l'an de Grace mil ſix cens ſoixante & vn. Et de Noſtre Regne le dixneufiéme. Signé LOVIS. Et plus bas, DE LOMENIE.

BENIAMINI PRIOLI
DE
REBVS GALLICIS,
HISTORIARVM
LIBER PRIMVS.

Status Rerum Gallicarum paulo ante exitum, & post exitum LVDOVICI XIII. *Mens Principum, Senatus, Ordinis Ecclesiastici, Provinciarum, Exercituum, Regni fines, Sociorum Fides, Vrbis Facies, Richelij & MaZZarini, invicem comparati, Assimilatio.*

VBI ex multis periculis & adversis requievi, mihi ævum quod superest, habere decretum, procul à publicis negotiis: & ne per desidiam, aut servilibus officiis, adulationem in superiores exercendo,

& Aulam lambendo, inter tineas inertes obsequiosi Palatii, ætatem agam; Statui res gestas in Gallia, vt quæque memoriâ digna videbitur, ab oblivionis iniuria, & vanis rumoribus vindicatas, Posteritati tradere, si modo illa laboribus meis speranda est, eò magis quod mihi animus, contra sævitiam fortunæ recollectus, à spe metuque ac partibus Principum, nunc liber est. Non poterat otium mihi indictum, honestiori imagine velari, nec aliud suppetebat argumenmentum, aut vberius ad laudem, aut firmius ad memoriæ conservandam diuturnitatem; Præterquam quod & ætate meâ jam ingravescente, & Exterorum de me expectatione, ac benignis judiciis, Dignus labor videbatur; Etsi non ignorem, quàm sit invisum, ferventibus odijs ista ingerere; Vbi quibusdam suspectus ero assentandi; Alios offendam, pervicaciâ Veri, quod mordax vbique, cum Fide incorrupta, & invictâ Libertate, constat.

Igitur de Mazzarineo Regimine, quantâ potero securitate & vi mentis, hac Decade ab-

ſolvam. Illud enim varietate Rerum, Caſuum atrocitate, Periculorum novitate, & tandem, Eventuum felicitate, in primis mihi videtur memorabile.

Poſtquam Ludovicus Armandum Richelium ſubſidium dominationis ſibi aſcivit, meliore fato fideque cōſilia belli ac pacis tractabantur: Per Europam, Armandi fama illuſtris, in illum cuncta vergere tanquam regni conſortem; Omnis in vrbe, per Provincias, per Exercitus oſtentatur; Non obſcuris artibus, ſed palàm, nullo adverſante; Quanto quis addictior, opibus & honoribus extollebatur; & quanto quis illuſtrior, tanto magis feſtinans in obſequiū ruere. Paſſim jactatur nihil tale ortum, nec oriturum: hinc ex ordine viri geſta narrari. *Perduelles obtritos, Rupellam Sectariorum caput exciſam, Oceano compedes injectas, Pacatum regnum, Caſaliâ liberatâ, Mantuano in integrum reſtituto, Sabaudo ad incitas redacto, per Italiæ populos data jura, ſtupente Ibero, per Alpes & Pyrenen iviſſe ovantem, Germaniam levaſſe imperio impotenti; Domum Auſtriacam plurimis locis fractam, Illum Iſtri, Illum*

Rheni domitorem , Oceano & amnibus longinquis ſeptam Galliam; Legiones, Provincias, Claſſes, Cuncta inter ſe, illius operâ connexa; jus apud Cives, modeſtiam apud ſocios , vrbem ipſam magnifico ornatu & augmento : Quædam equidem vi tractata, ſed quò cæteris quies eſſet.

Hæc de Richelio ſparſa & credita , per orbem. Sed quia Summis negatum eſt, diù ſtare, nec ſe res proſperæ ferunt vnquam, cœpit magnitudine ſuâ laborare. Tunc optanda fata providè immiſſa , & letho triſtia prævertente, ſumma dies obviam venit imminentibus periculis. Carbunculus Narbonenſis quærendam mortem obtulit Armando ; cujus ad extrema, antequàm perveniam, non alienum fuerit pauca diſſerere.

Ludovicus pertæſus prementis potentiæ , multa ſine dubio ſævaque de moribus, & ſuperbiâ Richelii conqueſtus eſt. Erat Henricus Deffiatus Quinque-Martius, claro in Aulâ rumore, per ferventem Regis gratiam, & ſpecies virtutibus ſimiles : nam operam tuendis amicis, & largitionem adversùs eos exercebat ; ignotis quoque, comi congreſſu

& ſermone: aderant etiam fortuita, decora corporis; Sed procul gravitas morum, & voluptatum parſimonia: levitati & luxui indulgebat, vt contingit ferè ſemper huic ætati, quæ nondum ſteterat intra vigeſimum ſecundum annum. Rimatus igitur metus Principis & odium in Richelium, cœpit non ſemel impetum aggrediendi eum, ſive incuſtoditum, quod rarum erat; ſeu in ipsâ frequentiâ, tanti decoris teſte. Hæ cogitationes juvenilem animum exiſtimulabant, niſi illum retinuiſſet, quod ſummis conatibus ſemper adverſum eſt, in Vitiorum dulcedine, cupido impunitatis. Et quòd ſolus non auſus ſit exequi, Quod alijs peſſimum, aliis pulcherrimum facinus videretur. Ergo Bullioneum, famâ & animo laudatum aſcivit ſibi, ſubſidium ingens tantæ molitioni. Thuanum conſcientiâ illigavit, & alios. Primùm, Tutius æſtimatum, cum Hiſpano paciſci, cujus armis comitantibus, illæ in Galliâ adversùm Richelium partes, non parùm ſe ſe attolebant: Rebus autem improſperis, Regem facilè deſerturum, & in

præceps daturum Miniſtrum ſatis ſuperque inviſum : non poſſe tutò extingui per alias artes ; Ludovicum Regni ſui amantem , quandiù per proſpera Richelij orſa , res procederent , nunquam auſurum aliquid in eum.

Hæc properè, aut artibus Richelij detecta, aut quia apud Gallos, taciturnitate nihil cohibetur, Regi denunciata per Chavignium, ad omnia miniſteria Armando devinctum. Tunc Narbone Rex aderat , quò per ſpurciſſimas tempeſtates & fœdos imbribus dies pervenerat , menſe Februario vix adulto. Obtentui fuit obſidio Perpiniana , quam Richelius rerum potens ſuaſerat, Regi avocando, & ad diſtrahendum; Lutetiæ relictis acribus cuſtodijs , quæ Reginæ & tenellis infantibus invigilarent. Hæc igitur Narbone, aut quod propius vero , in caſtris Perpinianis , Ludovico patefacta ; cùm Richelius ægro corpore, magis animo , viam reditûs carperet. Res mira, & legentibus vix fidem factura! Regem Richelio infenſum, Deffiati amantem, monitum de fœdere cum

Hiſpanis inito, ſine morâ, vt faveret odioſo & formidoloſo, duraſſe in exitium ſibi vnicè dilecti: Tantum potuit aut Regni amor, aut Richelij metus!

Igitur Narbone Quinque-Martio magno Stabuli Præfecto, & Thuano Supplicum libellorum nuper Magiſtro, inijciuntur manus: illo ipſo die, quo Rex mane amplexum & oſcula Quinque-Martio adjecerat, & blandâ allocutione egerat cum Thuano; factus naturâ, & conſuetudine exercitus, Velare odium fallacibus blanditijs. Lætabundus Princeps, re peractâ; antequàm ſuccederet, anxius; Narbone digreditur. Caſaliæ idem Bullionio fatum. Deducuntur Lugdunum Rei, vbi per ſelectos Iudices Richelii vindictæ, nondum auditâ accuſatione, paratos, damnantur vltimo ſupplicio; Bullionius deditione Sedani ſe abſolvit. Quinque-Martius & Thuanus exitioſæ amicitiæ pœnas luunt; Tentaritne Quinque-Martius Thuanum ad res novas, an tentanti Thuanus non reſtiterit, incertum: Vtvt ſit; tabulato ferali, vtrique capita inciſa, miſe-

rabili aſpectu vrbis, mœrentibus populis. Thuanus caſum ſuum non fortiter, ſed Christianè, ſupra quod credibile, ferens, inanibus & prolixis precibus, fatigare averſum jam Numen & alienum: Non alius Reus maiore miſericordia viſentium oculos affecit. Deffiatus intrepidè fatum excipere, primo flore iuventæ; ſuis virtutibus, aliorum vitiis, in ipſam gloriam præceps. Rex vlteriùs iam proceſſerat, rectà Lutetiam petens. Richelius pœnâ ſemper, nunquam pœnitentiâ contentus, iuſſit ſupplicium, & ferè ſpectavit; ac quaſi ſuſpiria morientium libens excepturus, Lugduno ægrè digreſſus eſt. Regi per epiſtolas nunciavit, Perpinianum captum, & hoſtes eius extinctos. Quod indecorum; Damnare ingrati animi & levitatis, Æquum, præſertim Deffiatum, qui ſolâ morâ apiſcebatur, quod feſtinatione immaturâ & malis artibus contra fas & iura conatus eſt. Miſelli duo, hoſtes Regis meritò nuncupantur; ſed primaria cauſa mortis, quòd patientiâ ſervili, fatali omnium ignaviæ non ſubſcripſerint. Ille patre Galliæ Pole-

Polemarcho ortus; Huic grande adjumentum claritudinis Iacobus Augustus Thuanus parens, rerum nostrarum florentissimus Scriptor, illustri inter Togatas familiâ, Præses in Senatu magni nominis, moribus inculpatis, longâ avorum serie, insignes familias, per affinitatem complexus.

Richelius, seu Numine exterrente, seu tot Extinctorum recordatione, nunquam mœrore vacuus; relicto Lugduno, cunctas sibi caritates amore Regni leviores, dictitare. Iam non Armandus, sed morticinium populis succollantibus, diruptis ædibus inferebatur. Tantum Gallici sanguinis domi perditum, tantum militiæ effusum, fatigant animum moribundis membris jam inclusum, & mœstitia restringunt. Non aliud peto ista legentibus, quàm ne permiserint, Tot extinctos tanquam fugitivos elabi. Detur hoc illustribus Viris, vt quomodo exequijs, à vulgo separantur, ita in traditione supremorum,accipiant propriam memoriam. Vandomios, Ornanos, Marilliacos, Mommorancios; & cæteros, de quibus silere sa-

tius, intelligo: Cramailliacis, Baſſompetreis, Vitriacis, Caſtellonovis pollutos carceres, cum innumeris.

Tandem cadaver tenui ſpiritu animatum, Borboniacis aquis nihil proficientibus, Lutetiam advehitur, circumferens fomitem ſui mali, animo magis quàm corpore exulcerato. Multa ſævitiæ indicia preſſa, tunc erumpere; diffidere Regi, amotos velle ſuſpectos. Per Chavignium Domino illudere, in dies fieri trucem, vetere atque inſitâ ſuperbiâ; Ludovico Armandum, Armando Ludovicum ſuſpectante. Res probroſa.

Interim ingraveſcere valetudo Richelij; Multi bona libertatis diſſerere: Pars maxima imminentes dominos rumoribus differre: Pacem poſcere omnes, Bellum deteſtari, quod inchoatum adversùm Auſtriacam Domum, non tam cupidine proferendi Imperij, aut dignum ob præmium, quàm ſtabiliendæ Richelii poteſtati. Paucos ante ſupremos dies Ludovicus in vrbem venire ad viſendum ægrum. Multæ vtrinque lacrymæ, & ſigna caritatis, Optimum ſtatuit Rex,

ponere odium, & multo verborum honore proſequi memoriam moribundi. Ergo per omnem valetudinem crebriùs quàm ex more Regio, per nuncios viſere, Medicorum intimos mittere; ſive cura, ſive inquiſitio erat. Supremo die, momenta deficientis nunciata conſtat, Nullo credente ſic anxiè inquiri, quæ triſtis audiret. Speciem tamen doloris, Ludovicus vultu præ ſe tulit, ſecurus odii, & Tutum iam putans bonus eſſe, lacrymas non cadentes ſponte, ac ſingultus læto pectore expreſſit.

Natus erat Armandus Pleſſæus Richelius Lutetiæ Pariſiorum, intaminatis nobilitatis honoribus fulgens, Patre Franciſco Pleſſeo, Matre Suſannâ Portanâ; ſpecioſis opibus, quas profligavit. Primò Abbas, poſtmodùm Epiſcopus; Infelix concionator, Sorbonicis chimæris, mentem paſtus, politioris literaturæ rudis. Ancorano rerum potente, Reginæ Matri ab Epiſtolis: Hinc Avenionem relegatus: Redux adnitente eâdem, ſummæ rerum admotus; Brevi nimiùm feſtinatos honores, Miſera fœmina, perſen-

tit; quippe ab eo, Regno depulsa, extorris, per Belgium & Angliam vaga, incerta sui, apud Vbios, Coloniæ Agrippinæ, deformata ærumnis, infelicem vitam morte optandâ, commutavit. Hæc obiter. Nunc ad Richelium, cujus habitum, si posteri quoque nosse velint, Decens fuit, & sublimis; gravitas oris, cum gratiâ supererat. Septem & quinquaginta annos vitæ, potentiæ duodeviginti explevit. Medium spatium integræ ætatis egressus, quantùm ad gloriam & nominis æternitatem, longissimum ævum peregit; quippe omnia, quæ optanda, impleverat. Quid astruere fortuna poterat, tot successibus & ornamentis prædito? Quid beatius quàm incolumi dignitate, florente famâ, futura effugisse, cùm nihil rerum mortalium tam instabile sit, quàm potentia, non suâ vi nixa.

Post Richelij excessum, intimi consiliorum adfuêre Regi, Iulius Mazzarinus Cardinalis, natalibus Romanus; Leo Buthillerius Chavignius, Subletus Noyerius, vterque, Ab Epistolis & actibus. Non diù per-

manſit in Triumviratu concordia; Alij Reginam, alii Gaſtonem, alii Anguianum orientem, ſectari, artibus occultis.

Subletus, homuncio iræ properus, ſævitiæ propior, auctoritatem Ieſuitici Inſtituti; (quo rectè facti merces creditur peti, ex ſolâ conſcientiâ, vndè ornamentum magnitudinis animi;) præ ſe ferens; Eo velo ambitionem occultabat, Moribus inculpatis: ſapientiæ & iudicii vſu modico: cenſu tali, quem nullis inhoneſtis artibus auxit, potuit tamen; in hoc laudandus, quòd abſtinuerit: gratiâ apud Richelium potens, per obſequium & laborem: eo animo florentes amicos celebravit, quo labentes nunquam deſeruit.

Leo Buthillerius ex Richelio ſuperbiam vſurpaverat, cujus favore defectus, expeditius putavit ferre ſecundas, quàm de primis obtinendis cogitare. Ideò Mazzarinum oſtentare, ſed ſe ſocium aliquandiù, potiùs quàm Miniſtrum præbere; inde occulta in eum moliri, de quibus poſteà.

Mazzarinus fato ſive genio, apud ſubje-

ctos, apud æquales, apud ſuperiores, variis illecebris potens: decorâ facie; ſed multò maximè ingenio & ſolertiâ, cum vſu rerum, ingentibus curis & ſucceſſibus famoſus; cuius neque conſilium neque inceptum, fruſtrà erat. Huc accedebat tanta morum dexteritas, vt cùm multos anteiret, omnibus tamen carus eſſet, vivendi arte invidiam vincens. His & talibus clarum fuit Aulicarum rerum peritis, brevi fore, vt ſolus apud nos rerum potiretur. Nec eventus fefellit. Nam noſtro regimini admotus, hinc ferè totius Europæ, ea tandem geſſit, quæ ſtupet mirabundus orbis.

Ludovicus totus paci intentus, ad conventum Monaſterienſem, de quo poſtea dicturus ſum, decreverat Mazzarinum delegare: poſtmodùm ſatius putavit Regimini admovere. Tunc primùm apud nos monſtratus fatis Mazzarinus, Delphinum ex ſalutis lavacro ſuſcepit, nomine Ludovici impoſito, qui decimus-quartus nuncupatus, noſtrorum laborum materies erit & argumentum.

Interim Rex adversâ valetudine, apud Fanum Sancti Germani detineri: Pro ejus incolumitate vota concipi; Principes, Magnates, Plebes operiri ægritudinem, Ille anxius, morte propinquâ, varia animo volere. Intutum videtur, Reginæ summam rerum credere. (Chevreusia, quæ principem locum in ejus gratiâ obtinuerat, apud Hispanos tunc degebat: Hinc vltrò citróque commercia, quæ Ludovicus ægrè ferebat.) Gastoni nunquam sincerè animus fratris conciliatus. Statutum igitur neutri committere Regni pondus, sed eligi decem viros administros, vtriusque frænandæ Potentiæ. Tandem vltimâ Voluntas, testamenti tabulis consignatur.

Quisque se Reginæ insinuare varijs artibus; Noyerius imprimis, qui gloriam testamenti sibi retinebat. Hîc subversus à Chavignio, Aulâ relictâ, missione efflagitatâ, secessit; brevi pòst, mœrore & tædio extinctus, nullis præceptis sapientiæ juvantibus. Chavignius velut vmbra, & vana imago rerum, remansit. Nihil intentatum

relinquens Mazzarinus, rerum potitus est. Quem apicem vbi adeptus, multa meditans, pensitatis suis, & æmulorum viribus, nullum officiorum in quemquam, genus, publicè privatimque, in quantum potuit, omisit. assensêre omnes, præter Bellovacensem Episcopum, Beaufortium, & Chevreusiam reducem, qui postmodùm excidêre gratiâ Aulicâ, proprij infortunij fabricatores.

Ludovicus paulisper ad spem erectus, dein fesso corpore, vbi aderat summa dies, Reginam geminâ prole masculâ innixam, & Proceres astantes in hunc ferè modum allocutus est. *Quoniam natura deficiens, mihi finem vitæ facit, quæ pauca dicturus sum, eò sanctiora apud vos fore confido, quò propiùs tango ea loca, de quibus Theologi tam præclara narrant. Per hanc dextram quæ sceptrum hodie deponit, & transmittit huic vestro Regi,* (*monstrabat filium heredem,*) *moneo vos, & obtestor, vt illi fidem intemeratam æternùm præstetis Colite eum, & enitimini, ne meâ morte intempestivâ, & ejus ætate invalidâ, tam prospera rerum corrumpantur. Equidem Regnum ego vobis*

trado

trado firmum & florens ; & nisi discordijs Civilibus vim sibi admoliatur, nullo unquam fato interiturum. Non Exercitus, non Thesauri præsidia sunt hujus Imperij, sed Consilium & Concordia.

Plura adjunxit, quæ in vulgus tunc edita, hîc transcribere supersedeo. Condeum intuitus: *Filius tuus*, inquit, *insignem victoriam reportavit.* Præerat autem Anguianus exercitui Regio, in Campaniæ finibus; & paulò pòst, Hispanos Rocroyium intempestivâ obsidione, aggressos, ingenti prœlio fudit, solutâ obsidione insecutus terga dantes, & latè populatus eorum fines. Id ante efflatam animam, Ludovicus magis præsagium, quàm mentis alienatæ signum dedit. Gastonem Aurelianum, fratrem vnicum, seriò monuit de mutando vitæ genere, in meliorem frugem: Idem Ingulismensium Ducem; *Cuncta Voluptate solâ innixa, vana; & inde pœnitentiam, sive propero sive claudo pede, imminere.* Multa denique aspersit ex placitis Christianorum egregia, de spe vitæ melioris, & ejusmodi blandis avidæ nunquam

desinere Mortalitatis, solatijs; quæ toties Concionatoribus intonata, hîc reticeo. Nullus mortalium, nec Antiquorum nec Recentiorum, fatum vltimum tam intrepidè excepit.

Tandem decimo quarto Maij, anno 1643. Naturæ concessit, facili exitu; fletu quorundam familiarium, sed largiori omnium Gallorum componendus; Si quæ per se potuit, non egisset per Collegas, quibus totâ vitâ fuit obnoxius, iniquo suo & Galliæ fato. Summa illi comitas in suos: Cùm arrogantiam effugerat, retinuit Majestatem & magnitudinem: modicus voluptatum, Regni sui supra modum amans: & si longiores moras in luce fata concessissent, optimus Regum evasurus. Plerique vana mirati sunt, quòd idem dies accepti Imperij, & Vitæ supremus: pater enim Henricus eodem die Maii trucidatus est.

Adfuère Principes & Magnates: & obiisse Regem, nulli iactantiùs mœrebant, quàm qui maximè lætabantur. More Regio iusta persoluta; solennibus rite peractis, tu-

mulo Maiorum apud Fanum Sancti Dionysii infertur, nullâ pompâ, aut modicâ: Ita præscripserat, cùm supremis consuleret.

Mortuo Ludovico, vnusquisque cœpit de rebus suis seriò cogitare. Mihi antequàm destinata componam, videtur opportunum exponere, quæ mens Principum, Senatus, Ecclesiastici Ordinis, Provinciarum, Exercituum; Qui fines Imperij, Quantum apud socios fidei: & tandem Qualis status rerum nostrarum; Quid in regno validum, Quid ægrum: vt non modò casus eventusque rerum, qui plerumque fortuiti sunt, sed ratio etiam causæque noscantur.

Finis Ludovici, vt lætus primo gaudentium impetu fuit, ita varios motus animorum, non modò in Vrbe & apud Senatum, sed etiam in Provincijs & apud Exercitus Ducesque concivit. Clientes amicique Exulum & carcere detentorum, in spem erecti; Rex supremis diebus, sive conscientiâ stimulante, sive derivandæ in Richelium Culpæ, & vt sævitiam illi totam imputaret,

revocaverat extorres, & longo pædore obsitos, liberaverat.

Principes læti, Vt fere ad nova imperia, vsurpatâ statim libertate, licentiùs, vt erga Regem quinquennem, fœminam Hispanam, & Italum Mazzarinum, Potentiam locaturi: Nam gratia Bellovacensis Episcopi non diù valuit, tanto jugo imparis, vt æmuli credidêre.

Gasto Aurelianensium Dux, patruus Regis; cui non amor, non odium, nisi indita; suadentium imperio totâ vitâ obnoxius, tunc ævum solutum curis sub legibus Abbatis Riveriani ducebat, cujus compositis ad pacem consilijs suo, magno damno non semper paruit: lætos tunc voluptatibus dies agere, noctes aleâ frangere, & ad hæc necessariam pecuniam ex ærario publico haurire; quod quamdiù illi patuit, de regimine nunquam conquestus est.

Condeus altâ calliditate gaudebat: mira illi vivendi ars. Adibant eum neque majestate neque satellitio gravem, ab aratro & navigio rudes; obvius cunctis, omnia in-

quirere, omnia ſcire; magnis parviſque rebus intentus. Atque his artibus pluſquàm ingenti armorum fragore, res ſuas ad opes evexit, quarum primus Condeorum viguit accumulator, & quibus abundè pollens potenſque, nihil appetebat, præter Regni decus & ſalutem publicam, cum privatis emolumentis.

Anguianus filius, omni curâ patri relictâ, tam publicæ quàm privatæ rei, tunc gloriâ militari tantùm ſuperbire. Atque illâ ætate, pro virtute felix temeritas; Cum dotes maturuerint: ſumma conſecuturus, Qualis poſteà evaſerit, ſeries hiſtoriæ docebit. Contius frater à Gymnaſijs recens, vix pubeſcebat; præclaro ingenio, quod ad pietatem poſteà inclinavit, non verboſam, ſed vitalem, per operum ſuccum, ſeriò, non ad pompam.

Longavillanus, Condei gener, Condeana rate navigabat, omnibus tamen ſe immiſcens, nulli addictus, niſi qui præpolleret; ferre iugum cum ſociis doloſus. A Morte Regis propoſitum, quicquid munitum in

Neustria, in potestatem suamtransferre, præsertim Havream arcem; quo securus, adversùs Neustrios, securus adversùs Reges, illo in portu se iactaret.

Vandomius Henrici Quarti ex Gabrielide Estreensi filius, per tam longa adversa, rebus attritis, sola prioris fortunæ recordatione, aut spe melioris, animum diuturnitate exilii efferatum solabatur; nec aliud volvebat animo, quàm damna prostratæ domûs, Quoquo modo resarcire. Mercurii Dux, Filius eius primogenitus, quietè agere; Beaufortius natu minor, suopte impetu iter sibi sternere ad Ministerii culmen, cuius posteà audentiæ carcere pœnas luit; præterquàm quòd intercesserat illi nescio quid, cum Monbazoniâ. Compertum habeo Ludovicum deficientem hos iuvenes Reginæ insinuasse non vulgari commendatione.

Guisianus Dux, avos referens magnitudine animi & splendore, dispari successu; non adfuit; Per deformes moras & mollia oscula, tempus, in Belgio, amori dependens. Duo fratres natu minores, ex Majoribus,

popularitatem quidem vſurpare. Hoc cardine rerum, proles ſuperſtes tot Heroum, qui de Regno olim auſi decertare, ne voto quidem locum habet; nihilaliudobtendens in hoc tranſitu, quàm rem facilem aſſequi, ſcilicet, Nihil moliri.

Surculus Guiſianæ gentis Helbovius, & Harcurtius, anguſtijs rei familiaris depreſſi, nihil animo agitare. Hic ſtrenuus, & audax, poſteà variâ fortuna jactatus, de quo infra non pauca dicturus ſum.

Nemorauſenſes propagine Sabaudica Galli facti: ex numeroſâ prole maſculâ, duo ſuperſtites: quorum natu major ingentes animos in exiguo corpore geſtabat; Inciſis fatis, fratrem habuit ſucceſſorem, ex famoſâ domo nihil præter inculpatos mores retinentem.

Tales fuère noſtri Principes: nullus rerum novarum aut cupidus aut Capax: Præſenti ſtatui ſubſcripsère omnes, animo multa volventes irrito, conatu. Hoc Gallorum proprium præſertim Aulicorum, varia movere, per inane peritura; Se invicem ligare

fallacibus vinclis, Postmodùm desultoriè agere, invicem se prodere. Technarum artifex, has perrumpet facilè, aranearum telas.

Nunc ad Senatum Parisiensem, qui non abnuit illum rerum statum. Corpus ingens est conflatum ex variâ indole; Certâ pecuniæ summâ, quod indecorum; hoc dignitatis sibi & suis emunt. Plerique imperant censui; & per luxum aut conjugum, aut liberum, aut suum adesis bonis, inhiant rebus novis. Eorum munus, si rectè ponatur calculus, jus suum cuique tribuere, lites componere, tributorum auctiones mollire; & quæ in quæstum reperta ipsis tributis graviora, circumcidere; publicis laboribus prospicere, ante omnia Regij gloriam præstare, id docere populos suo exemplo, nunquam reluctari nec imperia detrectare, sed suppliciter monere, voluntatem Principis pro supremâ lege habere. Hi mores debent esse Senatus Parisiensis, qui olim regula recti, terminus æqui, columna iuris; ad quem tanquam ad Oraculum, vndique rogaturæ

gentes

gentes veniebant: ſed, vt omnia in deterius, deſcivit ab antiquo illo ſplendore. De pleriſque loquor, non de omnibus. Oſtentat enim, Curia etiam hodie inſignes viros, qui ſuſtinentes decus, incorruptè fulciunt ruentem hanc molem; & qui torrente factioſorum abrepti, ingemuerunt ſuis decretis. Magnum pondus addidit & addet purpuratus ille Cœtus, non ſolùm Regijs edictis, ſed & factis. Ergo poſt exceſſum Ludovici, quò vergerent pondera tantæ libræ, maximè obſervatum. Conſenſu Aureliani, Condei, & Senatus, ſumma rerum Reginæ credita, ſub nomine Regentis. Nihil Mazzarino, tunc, peregrinitatis obiectum; Quin paulò pòſt, cenſetur Senatu plaudente, dignus eligi, cui Regni pignora & clavus mandarentur, æmulatione inter Primores ſic ablatâ. Ludovici cœlo receptam Animam hoc innuiſſe, Reginam mariti mentem impleviſſe.

Mazzarinus animo volvens, quid noxium, quid vtile, talem ſententiam tulit de Clero: Hæc ſunt eius verba Reginam monentis.

Sacer Ordo à multis annis exiguum proventum habet magnorum virorum, nescio quo fato. Futilia sectari, per desidiam vitam agere, seria studiorum non amplecti; Omnia ad pompam, etiam si quid sacrarum concionum, & ipsum venerabile Sacrificium: Ex functionibus nihil sibi vindicare præter rationes. Concionandi munus, quæ prima dignitas Episcopi, cedere quamlibet inepto: Abundè Episcopos videri, si rhedis pictis, appositis insignibus, cultu & famulitio certatim lasciviant; & sæviant in levissimarum rerum prævaricatores. Spondarum muliebrium asseclæ perpetui, non sine vilipendio pastoritij pedi. Hoc vt plurimùm, nam semoti ab hac corruptelâ, sanctè & inculpatè vivunt! Qui irascetur, non in his, sed in illis se agnoscet. Tantum religio valet in animis mortalium, vt quoties inter sacris addictos, magna aliqua virtus vicit ac supergressa est, Vulgi captum & vitia generis humani, instar Numinis adoretur. Tunc cœtus ille nec pondus in Galliâ nec momentum fuit, inquiebat Mazzarinus.

Ægrè & quaſi hæc invitus adſcribo, ſed libertas & fides in præſentia, quibus reſiſtit, offendit, deinde ſuſpicitur laudaturque.

Erat Franciſcus Paulus Gondius gente Florentinus, natalibus Gallus, Abbas Rezius, pòſt Coadiutor, vt vulgò dicitur, Pariſienſis, Corinthius Archiepiſcopus; caſu dato magna auſurus, vt faſſus eſt, ſe credere Mazzarinus. Inerat illi inſuper familiæ decus, facundia & claritudo ſtudiorum, vis animi. Largitor pecuniæ alienæ: eam non reddere per difficillima tempora, ſed potiùs Beneficia; magis laborare, vt multi illi deberent, quàm repetere, quod illi debitum: excelſo ingenio, multa animo volvere: occaſionum avidus, res novas exſpectare, eaſque tantùm ad famam.

Provinciæ everſæ, laceræ, attritæ tributis, vectigalibus, ſtativis militum, nihil aliud quàm Pacem ingeminare; ſed majora onera ferre paratæ; tantum obſequij & fidei erga Regem: Præſides earum obnoxij, dociles ferre jugum. Non tunc Monmorancij, non Lediguierij, qui olim vel minimo motu

Aulam conturbabant. Ille Rohanius, qui quatuordecim annos incubuit visceribus Regni, novam Religionem armis asserens, jam dudum concesserat fatis, nullo relicto qui tanti nominis mensuram impleret.

Novatores (eo vocabulo mihi vtendum,) Bellis fessi, dempto capite, Rupellâ domitâ, rebellionis sede, nihil præter quietem spirare; quod mirum in illâ mutatione. Et quia famosa Religio, tantum potuit malorum suadere, nec diù duratura est, non alienum fuerit primordia cultumque ejus aperire, ne eam posteritas ignoret. *Auctor novationis Ioannes Calvinus, Chauvinus primùm dictus, Noviodunensis, qui relictâ Galliâ Genevam concessit, quò ejusmodi confluunt celebranturque. Rex Carolus & Catharina mater, quæ tamen non fuit aversa, Novitios persequi ferro & flammis tanquam sontes, & vltima exempla meritos. Tot cruciatus sibimet stulta mortalitas, impulsu credulitatis, excogitavit. In Festo Sancti Bartholomæi, vno ictu decretum, amputare caput Hydræ renascentis, facinore indigno Gallico nomine, & quod Sequana non abluat suis vndis.*

Repressa in præsens Religio rursus erumpebat, non modò per Galliam, sed per Helvetios, Germanos, & Anglos: nonnulli Principum cessêre in partes, vnde bella, & derivatæ in populos clades. Calvinus ritus contrarios Divinis indidit, nec quicquam priùs suos imbuit, quàm Sanctificum Crustulum, Sacro-Sanctumque panificium, non verti in Christum per murmur Sacrifici; Quod horresco memorans: summum illud quod venerantur, non manibus pistoris effingi, nec mutabile nec interiturum; Missæ Sacrificium, & pro mortuis preces, vilia habere. De Infernis & Cælestibus persuasio, de Purgatorio igne, nulla. Non fieri Sanctos per Pontificem, & quoad illos, inane Cœlum. Virgini parvus honos; & hactenus vt Filio suo sit longè minor; Nullas preces illi fundi debere. Ossilegia & reliquias, vt vocamus, ludibrium putare: Diplomata, quæ Indulgentiæ nuncupantur redimendis peccatis, certâ pecuniæ summâ, quam quisque det, flocci facere; & nummos meliùs impendi posse, fidenter affirmare. Pontificem Romanum despectui habere, tanquam larvam & simulacrum inane: fulmina Vaticana non perhorrescere, gladium esse asserere, cujus acies in solâ

opinione sita est. Sentinam peccatorum expurgare in aures Sacerdotis, primum argumentum imbecillæ mentis existimare; Confessionis onus, sarcinas humanarum constitutionum vocare: Pisculentis & insanguineis cibis, per quadraginta, & quod excurrit, dies, stomachum pervertere, insanum; sicut & macerantibus jejuniis illo tempore sese exinanire, quandoquidem pagina vtriusque Fœderis hac de re nihil præscribit. Cúmque jam se renovet annus, & humores conditi sese rursùs proferant, ibi totos menses duos tyrannidem occupari, & anni renascentis infantiam accersito senio vitiari: & cùm hoc meditetur Natura, vt corpora succis insalubribus repurgata, novis succis repubescant, ingeri meros putores, merasque sanies; idque per deliria eorum, qui ipsi talia non attingunt, sed ferias indicunt, religiosè abstinentes. Hæc dicunt de Quadragesima nostra. In cæteris semper Sacrum Codicem obtendere, de Scripturis suadere; in congressu firmissimos nostros fatigare, medios cum scrupulo dimittere, non paucos capere. Mystas, suos, Ministros vocant, nullo discrimine vestis à vulgo. Et quia proclives ad libidinem, vt cæteri mortales; vxores ducere iis

licitum: id ſatius putant, quàm vitiare alienas, quod Ordini cœlibi & caſto malignè objectant. Nuda apud eos Templa puris precibus adolentur: Myſteria ſua peragunt fruſtulo panis & hauſtulo meri; certis diebus, in memoriam Cœnæ Dominicæ. Deum Mentem puram, colendum pura mente; Non globulis precatorijs, quos ova ſerpentum per deridiculum vocant. Monaſteria improbant, vbi innumera, ajunt feliciſſima ingenia, infeliciſſimè ſepeliri, ac defodi viva, quæ fuiſſent electa vaſa Domini, ſi judicio ſumpſiſſent inſtitutum naturæ congruens: ita loquuntur. Geneva Religioni caput, Vrbs apud Allobroges, Epiſcopis ſuis paruit, excuſſo jugo, permanet hactenus ſui juris. Ad muros, Lemanum Rhodanus integer & ſuis vndis perfluit; Lacus immenſo ambitu, inſtar pelagi, marinis fluctibus & fremitu aſſurgit. Vrbem editam ſitu, opera moleſque firmant: Duos colles muri claudunt, per artem obliqui aut introrſum ſinuati, amœnâ ſpecie & intuentibus grata. Jllic obſtinatio viris fœminiſque par; & tantam ſibi omnes Numinis fiduciam interpretantur, vt ne adverſis quidem ad vera mutentur: ac ſi Catholicos admittere cogerentur. Major vitæ, quam mortis, metus.

Eâ de sectâ, quoniam occasio tulit, nec alij plus in rebellionem olim contulêre, paulò fusiùs disserui: Taciti qui in Iudæorum Religione, liberius excurrit, sed præsertim Polybij exemplo, qui in his summus Magister, laxat Historiam, multò maioribus avocamentis, Nullum ignorantiæ & imperitiæ, certius argumentum, quam abnuere scire, & sumere Iudicare, post tam insignes viros.

Ergo illæ partes quæ in exitium Galliæ, toties invaluerant, post mortem Ludovici, aut debellatæ, aut per se tranquillæ, nihil negotii facessebant; etsi Turenio ac Gassioneo, viris inclytis, meritò superbirent. Vtrique nomen celebre, dispari famâ.

Ille opportunitatem locorum sapienter legere, incruentam & sine luctu victoriam sæpiùs reportare; cunctando, rarò manu, hostibus obniti: dispositu provisuque paci & bello bene cousulens, gloriæ immodicus, atque omne belli decus sibi retinens: collegarum errata aut infortunia, per taciturnitatem criminari; trahere bella, prudentiâ, an morandi in imperiis cupiditate, Na-

turali

curali nobilitatis ſuperbiâ : par antiquis Ducibus; ſuæ ætatis, facilè princeps.

Gaſſioneus ſeriei parentum non inhonoræ, ſuâ virtute præluxit; ſpe properus, nec moras vnquam nectens : nihil flagrantem animum retinebat; aſſultu indefeſſo nocte dieque hoſtes laceſſere; ad vtraque munia militis & ducis ſufficiebat : Ipſis periculis lætus, vt alii, præmiis periculorum. Vterque Regi addictus, neuter obtentu Religionis res novas appetebat.

Exercitus noſtri, tot bellorum ſuperſtites, longâ ſucceſſuum ſerie tumentes, nihil arduum putare. Ludovicus Borbonius Anguianus, tanquam Sidus formidandum gentibus Gallico nomini infenſis, prælucebat. Rocroyium illi aurora gloriæ naſcentis, & futuræ magnitudinis præſagium : Omnia ſecunda & obedientia. Gallia concors & vnita porrigebat ſeſe apud Germanos, à Moſellæ alveo vltra Rhenum; Per Norlinganam victoriam, Danubio adiacentia, poſteà infeſtata, terrore vndiquaque incuſſo. Apud Hiſpanias, ad Iberum flumen, Tortoſæ &

Flixij possessione perveneramus. Oceanum & Mediterraneum pervagabantur nostræ classes.

Italia omnis à summo Pontifice, qui tunc erat Vrbanus octavus, ad infimos Principes, reverenter agebat. Sabaudiæ, Mantuæ & Mutinæ Duces, instrumenta Gallicæ servitutis, potiùs quàm sui juris. In Germania, Sueciæ & Daniæ Reges nostrâ amicitiâ gloriari: ipse Sarmata eam ambire. Electores secum malè agi æstimabant, si non aliquem locum in gratiâ nostrâ obtinerent. Lusitania ab Hispania avulsa, pendere à Galliæ nutu; Cujus jugum Catalaunia sponte subjerat, pretæsa Ibericæ dominationis. Fœderatum Belgium constanter nobis adhærebat. Angliæ Rex, qui jam semina novationis & Civilis motûs prævidebat, anxiè nos sibi devincire.

Europa mirabunda talem spectabat rerum nostrarum statum: nihil felicitati nostræ deerat, præter moderationem & fruendi artem. Principes nostri concordes, Re-

ginæ nutus venerari; quæ consilijs Mazzarini fulta, ita habenas temperabat publici fati, vt florente Regno, domi militiæque, omnia feliciter & ad invidiam succederent. Illa acerba nupserat; & habita severè, juxtà gratiam aut fastidium viri, perpessa. Mulier sanctitate morum ad priscum morem, Regina fortis & invicta malis, judicio maxima, simulandi & dissimulandi perita, in rebus, novis nihil novum ostendit. Decretum strenuè Natos & Regnum tueri: interim invalidâ ætate Regis, non irritare Principes, Res apud eos alternare prudenti trutinâ. Etiam recens à dolore, hæc iacere; *Imperium Gallicum exercitus fidi defendent, hunc, Regem demonstrans; sua Majestas.* Domus Regia aliena malis, quæ per Aulam plurima serpunt. Pueritia Regis præceptis & monitis Mazzarini adolescebat; cui & admotus, tenens secundas, Villaregius nostrarum rerum gnarus, Aulæ peritus, ingruentium dominationum prævisor solers.

Nostri Magnates toti intenti quid corra-

derent aut expiſcarentur , antequàm Rèx adultus, compeſceret maleſanas cupiditates. Hoc habent in more poſitum Galli , vt ignavos, ſe arbitrentur & rerum ſuarum incurioſos, ni aliquid reportent à novo Principe ; ex quo hauriendum putant, tanquam ex torrente non ſemper caſuro. Præſertim ob Miniſtri peregrinitatem , cui ſe illudere poſſe, fidenter rebantur. Etiam multi privati petaces. Mazzarinus , provt cujuſque ſtudium flagrabat , præbere ; neque ſumptui parcere , dum obnoxios fidoſque Reginæ faceret : quemcunque poſſet tunc, largiendo parabat. Interim ærarium à Palatinis Hirudinibus expilabatur.

Mazzarinus multa prævidere ; olim pecuniæ conquiſitionem cauſam malorum futuram : Nihil æquè animum eius fatigabat: Quietem Regni & decus ſpirare; ſine armis id non poſſe ; neque arma ſine ſtipendiis , neque ſtipendia ſine tributis, neque tributa ſine vexatione, nec tandem vexationem ſine querelis , in civitate omnia damnante , & ob luxum timendâ ; cui non fit ſatis , niſi

per malas artes, quæ turbida exſpectant. Secundæ res animos iam corruperant: opes honori eſſe, paupertas fœda haberi: ex divitiis luxuria, atque avaritia comes, cum ſuperbiâ invadere, rapere, conſumere, domos ac villas in vrbium modum ædificare. Nam quid vltrà memorem, nemini ex poſteris credibile? Abuti eò vſque divitiis per turpitudinem, vt Exactores quamplurimi, Partizanos vocant, carcinomata generis humani, ſubverterint montes, & plana in montes eduxerint; domos exſtruxerint, quibus pares non inhabitant, neque Imperatores, neque Reges. Veſcendi causâ, terrâ marique, omnia conquirere; luxuriam lucris, luxu rapinas emere; & ſummum censûs pretium, cenſum effundere: Hinc vbi familiares facultates defecerant, ad res novas intendi, ad quæſtum ac ſumptus. Vulgò dictum, auctu Regni adoleviſſe privatas opes; Aliam pecuniam nunc, quàm olim tenui Regno, vbi anguſtæ domus: Nihil nimium, vbi potentia: omnia, ex fortunâ poſſidentis: facilèm aſſensum habuit ſub no-

minibus honeſtis, confeſſio vitiorum, ac ſi-
militudo peccantium.

Hæc in Vrbe, fœcundâ gignendis malis,
quæ in omnes partes tanti momenti eſt, vt
quò vergat, eò ferè inclinent omnia, Quia
in eâ vires totius Regni & ſpes ſitæ ſunt,
& quia inde in omnia regimen : Fundit
in omnes Provincias imperium, armorum
& legum potens : in gremium peregrino-
rum omne genus recipit, & communi no-
mine humanum genus fovet : non inſtar
dominæ, ſed matris. Cives vocat quod ad-
mittit, ac pio nexu remotos toto Orbe, ſibi
devincit. Non ſeſe æquiparet antiqua Roma,
nec quidquid Vrbium illuſtrium apud Eoas
gentes: quadruplices vrbes effundet, nullo
exhauſtæ plebis diſpendio ; centum millia
armatorum emittet, plateis inſuper affluen-
tibus ; quatuor Reges inopinos ſplendidè
excipiet, ſaturis civibus, inſerſecta ſuo Se-
quanâ, qui dorſo circumfert, quæ alendo
Regno ſufficiant. Statim à morte Ludovici
quieta & læta rebus ſuis ; ſed non obſcuro
præſagio conjectabatur, ab hac ſolâ cladem

in populos fluxuram.

Impar erat Mazzarinus ſatiandis tot cupiditatibus, exhauſto penè jam ærario. Quiſque ſe putat rerum pondus; & inde pretium exſpectat, avidus in mercedem: hinc prodeunt arcanorum captatores, æruſcatoreſque, quorum vitæ compendium, ſcire & neſciri: ſuſpicaci tempore gliſcere exploratorum ille grex inſaturabilis, fallax, infidus, qui damnabitur ſemper & retinebitur. Aurelianus, Condeus, Mazzarinus, Longavillanus, Seguierius, Brienneus, Buthillerius, Chavignius ejus filius, ac Servienus Regium conſilium repræſentabant. Iam tunc fama vulgabat Mazzarinum eſſe omnia, cæteros velut vmbras, quæ illum comitentur, & ad ejus nutum moveantur: quippe graviſſima quæque Reginam cum eo tranſigere, vnico interioris admiſſionis; alios ad conſilia magnificè adhiberi, vt acta jam agerent, & rerum caperentur vana imagine, Ac reverà tunc palam redivivum nobis Richelium Mazzarinus præſtabat. Quos, quoniam res ſeſe offert, ſilentio præterire

non fuit consilium, quin vtriusque naturam & mores, quantum ingenio possem, aperirem.

Mihi multa legenti & animo agitanti, constat à cunabulis regni, ad hæc vsque tempora, paucorum egregiam virtutem cuncta patravisse. Inter illos maximè inclaruere, ingentibus meritis, viri duo, Armandus Richelius, & Iulius hîc Mazzarinus, diversis moribus, diversa gente; Vtrique eâdem dignitas in Ecclesiâ, Vtrique genus illustre: Ætas, eloquentia, æqualia fuere, Magnitudo animi par, item gloria, sed alia alii. Armandus magnificentiâ magnus habebatur; Iulius splendore eum vicit; Illi severitas dignitatem addiderat, Hîc mansuetudine & misericordia clarus factus est. Richelius profundendo & puniendo; Mazzarinus ignoscendo, & caute largiendo gloriam adeptus est: Illius prompta ac expedita liberalitas laudabatur, Huius in donando damnabatur lentitudo: Adversus Richelium peccantibus, certa pernicies; Mazzarino infensis, in ipso Mazzarino perfugium. Ille cuncta vi tractare, hic imperiosa

riosa quiete: ille regni Gallici apprime sciens; hic orbis terrarum notitia validus: ille obijt inter bellorum flammas, incertus casuum; hic pace partâ, securus fati: ille gaudente, hic illacrymante rege, inter ejus amplexus expiravit. Interim necessaria hæc, nec, vti arbitror, ingrata enarratio, quæ hoc libro continetur; vt quos varia fortuna dimicantes, lector visurus est, eorum quoque mores, animumque, & tanquam imaginem, ante oculos habeat.

Cum enim Rebus & Hominibus, Omnis Historia constet, plus his, quam illis, inhærendum duxi, quia magis interest, ad exemplar vitæ; Scire, qualis quisque fuerit, quam impleri mentes, nihil profuturis nartionibus. Caput est, Homines agnoscere. Mihi fortuna, multis ereptis, vsum reliquit, Gallicorum ingeniorum, quæ tanquam in tabulâ depingo. Hoc certè vtilius, quam Singularia agnoscere. Stilo pango, quod alia leget ætas. Nostra, sui incuriosa, postquam facere laudanda desijt, laudari, aut vituperari ineptum reputat, & Icones respuit, quia

formidat. Quantum ad Mazzarinum; Non de ejus fortunâ ſed de ipſo loquor, qui nullo beneficio, multis iniuriis mihi notus eſt, cum illi ſoli mea familia ſuas clades acceptas referat; Nihilominus tanta vis eſt veritatis, vt nequeam magni viri laudes tacere ignavus, ſed eas cogar invitus fauſtâ proſequi æſtimatione, campo adulatorio aliis relicto.

LIBRI PRIMI

FINIS.

BENIAMINI PRIOLI
DE
REBVS GALLICIS,
HISTORIARVM
LIBER SECVNDVS.

Gesta domi, militiæque continet per felix quinquennium, prudenti, si vnquam, regimine, ab anno 1643, quo obijt Ludouicus ad annum 1648, quo cepti, pessimis auibus, Motus Ciuiles.

TALI rerum statu, etsi florente, non dubium quin Austriaca Domus sublatura animos fuerit; multis apud nos animo jam rebellantibus, materiâ motibus variè quæsitâ: ni Mazarinus (inuidi cauillantur, occulto fine,) imminentibus occurrisset; dum desides, spe,

donis, dulcedine otij, pellicit: vegetos & militares per Germaniam, Belgium, Italiam, & Hiſpaniam, in pugnas & clades diſpergit, deterendo hoſti & amouendo; ne per diſcordias, interna & externa moliri prohiberetur.

[Quid futurum fuit, ſi tanta turba malè feriatorum, ſub tutelâ impuberi adepta impunitatem, ſoluta Regio metu, cœpta eſſet agitari ciuilibus procellis; priuſquàm Pignora Regni adoleuiſſent, charitaſque Principis, cui tempore aſſueſcitur, animos conſociaſſet? Diſſipatæ res, nondum adultæ, diſcordiâ forent, quas per quinquennium tranquilla moderatio fouit, eóque perduxit, vt, validis jam viribus, quoſlibet impetus ferre poſſent, etſi Gallici fati malignitas grauiſſimè ſæuiret.]

Spretis igitur magis crebris, quàm dictu dignis caſibus, de ijs ſolùm ſcripturus ſum, quorum ſcitus in vitam ſe porrigit; ſatius ducens prudentiæ operari, quàm animos paſcere inani rerum geſtarum narratione. Nihil hic quod ſingulariter enumeretur, ſperandum eſt.

Monita vbique ſecreta ab erroribus vulgi, breuia, occultáque: & fateor opus eſſe ſagace mente ad odorandum & aſſequendum. Qui eam non habet, me non legat, & res alias agat.

Primum ſpecimen noui principatûs, expeditio Rocroïca fuit. [Rocroïum, (ſiue, vt olim, Rupes-Regia,) ad ingreſſum Arduennenſis Saltûs, Munimentum eſt, quod opera moleſque firmant, rarum culti ſoli occurrit veſtigium, myricâ ſqualet ambitus & ſterilibus auenis. Tanti momenti locus eſt, vt incubanti illic præſidio Lutetiam vſque pateat aditus, & Campaniæ in immenſum patentis fuſa planities excurſionibus Rocroïacis obnoxia ſit.] Belgici exercitûs Ducibus nihil à morte Ludouici conſultius viſum, quàm iuris ſui facere finitimam illam oram. Ergo duodecimo Maij 1643. acri Rocroïum cingitur obſidione: exteriora derepente inuaduntur, præſidiarijs circiter quingentis aggreſſioni tam validæ imparibus. Triumphantium magis, quàm dimicantium more, Hiſpani vicina loca compleuerant. Franciſcus Melos, no-

mine Iberici Regis, primas tenebat; Comes Iſemburgicus, Dux Albukercanus, & Comes Fontanonus, ſecundas. Viginti ſex millibus armatorum conſtabat exercitus. His auditis, Enguianus, qui in Picardiâ ſtatiua habebat, peditatum qui ad Autiam, equitatum qui ad Iſaram, ſimul junxit: ac confeſtim Gaſſioneum cum quingentis Equitibus præmiſit, exploraturum omnia, & quæ belli ratio exigit, executurum. Gaſſioneus indefeſſo aſſultu hoſtem laceſſens, dum vtrinque pugnatur, in obſeſſam arcem centum ſelectos Tubiferos immittit, ſolatium non paruum laboranti iam præſidio. Enguianus magnis itineribus, accitâ totâ virium ſuarum mole, ad Boſſutum oppidum, quarto lapide à Rupe-Regiâ diſtans, decimo-ſeptimo Maij ſe ſiſtit. Huc pariter & aduentat Gaſſioneus. Ibi de liberandâ Rupe-Regiâ, conſilia vltrò citróque agitantur. Non defuêre qui ſuppetijs, non prælio, opus eſſe affirmabant: potior ſententia, pugna decernendum. Obſtabant anguſtiæ; & inuij calles ſuperandi, antequàm in æquam planitiem copiæ educeren-

cerentur. Strenuè ac mira felicitate res peracta est. Vix contineri poterant Galli, quin cursu quoque ad hostem contenderent, vel crepusculascente die. Illud impetûs Gallici: hoc rationis fuit. Quòd transfuga Gallus nunciauerat, Bekij, in subsidium Hispanorum, cum nouis copijs, instare aduentum; (non erat Bekius vile nomen in nostra & illa Galliâ;) data transfugæ pecuniâ, quam exigebat eius sors, omnia parantur vltimæ aleæ: iamque vniuersa futuri discriminis facies in oculis erat. Omnia intentiori cura & solicitudine vtrinque instrui: noxque ea, velut in posterum diem edicto certamine, parabatur. Enguianus, melius ratus diem exspectari, incitatos ad corpora curanda dimisit. Hinc, cum Ducibus, propinquisque, agmina in armis stantium circumire; militum globis, dignam vetere gloria & præteritis monumentis, fortitudinem inspirare; ipse nec quietem pati, nec grauatum corpus somno leuare. Haud aliàs tam alacrem viderat Ducem exercitus: & facilè ex eius vultu interrito certam spem victorię augurabatur.

Tandem nitidiore luce noſtram hoſtiumque aciem oſtendente, Enguianus, ſpreto amicorum admonitu, leuiter pectus loricauit, capite inermi, conſpicuo vultu, vt à milite per omne diſcrimen noſceretur.

Acies ita fuit diſpoſita, vt dextrum cornu Gaſſioneus; læuum Hoſpitalius, cum Seneterreo, tueretur; Eſpenanij ſubſidiis cornua roborata eſſent. Enguianus dextra læuáque oculos viuaces circumferre, dubio euentu pro victore ſe gerens. Nuſquàm præcociori gaudio Fortuna prouocata: tamen ad preces, propitiandæ victoriæ, Sacerdotes vocati; creditum, heu! nimiùm multis, inutile in terris pondus. Ingens conflictus fuit, obſtinatio pertinax. Grauis fortuna læuæ noſtræ aciei incubuit. Seneterreus, ſtrenue Ducem & militem agens, plumbo & ferro vulneratus; equo cæſo abductus, & paulò pòſt, receptus. Hoſtes quoque noſtris tormentis potiti ſunt; quæ Hoſpitalij virtus inclyta recuperauit: ſed, eo brachium ſaucio, rurſùs amiſſa, & in nos conuerſa ſunt. Fortuna pugnæ per Syrotum mutata, qui vehementer

iniit certamen, & læuo cornui, in manifesto discrimine, ac pœne prostrato, venit suppetiatum. Vallonibus, Germanis, ac Italis cæsis, negotium restabat cum phalange Ibericâ, forti, vinci nesciâ. Peditatus dextri cornu sæpius eam aggressus est, semper irrito conatu. Tandem Gassioneus, non ignarus, quænam fortuna esset in illa phalange, equitatum dextri cornu secum ducens, firmum laxauit ordinem, & fudit. Ingens ruina hostilem aciem repentè compleuit. Heluetiorum nostratium crudelis rabies in Hispanos desæuijt, qui ante oculos Ducum suorum mortem occumbere, quàm salui esse, ducebant egregium. Fontanus, rei tormentariæ in hostili exercitu præfectus, fugæ dedecus honestâ morte vitauit. Heluetij, decus expetière mactati Ducis, sellâ gestatoriâ, durante prælio, vectati (jurejurando se obstrinxerat, neque peditem se neque equitem aduersus Gallos pugnaturum.) Comes Isemburgicus tutiorem fugam, quàm captiuitatem ratus, saucius euasit, & paulò pòst ex vulnere obijt. Melos, (relicto Baculo Im-

peratorio, qui in manus victrices Enguiani peruênit,) quatuor leucarum ſpatium celeritate equi emenſus, Mariamburgi latebris ſe abdidit; paucis fugæ comitibus, omni acie deſtitutâ, fuitque in confeſſo, militem pugnaciſſimi Imperatoris, Imperatorem fugaciſſimi militis functum eſſe officio. Solum Enguiani decus addidit gloriam victo. Iam non ampliùs pugna, ſed cædes multiplex: clades nunc ſingulorum, nunc vniuerſorum: amputata paſſim virorum membra humi jacêre: trunci & debiles, arma tamen non omittere, donec multo ſanguine effuſo exanimati procumberent. Alij, quà breuiſſimum patebat iter: alij diuerſos ſaltus, & ignotos ſequentibus calles, petere: armatis inermes, integris debiles implicari. Id moris, vbi intrauit animos pauor. Enguianus non diutiùs ſequi fugientes; manus fatigatas, corpora ſiti exhauſta, hebetia arma, quieſcere iuſſit: & extraordinario periculo defunctus, Rocroïum intrauit ouans. Cæterùm hanc victoriam majori ex parte Virtuti, quàm Fortunæ ſuæ debuit; nam & aciem

peri-

peritissime instruxit, strenuè pugnauit, & magno consilio jacturam tormentorum contempsit: cùm tamen in ipsa acie summum videret esse discrimen. Fugientes autem, (quod in illo ardore animi & ætatis rarum est,) prudentiùs quàm auidiùs persecutus est. Hospitalium, Seneterreum, Gassioneum, Syrotum, Espenanium, Enguiano Duce; & Enguianum talibus ministris dignum fuisse, fassi sunt qui interfuêre. Hæc dicta nimis fusè, sed tot futura prœlia erunt hoc in vno.

Liberato Rocroïo, de Thionuilla decretum. [Vrbs est Ducatûs Luxemburgensis, Mosella flumine intersecta: hinc Metas, illinc Treuiros spectat; biporta enim est: in valle sita: fossis, propugnaculis ad inuidiam vallata.] Magni momenti tunc credita, non tam vt eius excidio Fequieri manibus parentaretur, (quod dignum nostro nomine,) quàm vt Gallica ditio tali accessione cresceret. Ergo vastatis agris, vicis nonnullis in potestatem redactis, trigesimo à pugna Rocroïca die, visus exercitus Gallicus in conspectu Thionuillę; quam idem Fortunę im-

petus domuit. Geureus & Gaſſioneus præceſſerant ad primas metationes : Condęus ingenti celeritate, quartis caſtris Metas acceſſit; & ſubinde ſupplemento militum occurrente, exercitus ad iuſtam magnitudinem excreuit. Ducum conſilijs, operibus, vi, patientiâ militum, virtute Enguiani, ſpatio quadrimeſtri quàm oppugnari cœpta erat, in manus noſtras peruênit Vrbs, vetuſtate originis & crebrâ fortunę varietate ad memoriam poſteritatis inſignis; quę multis caſibus defuncta, nuuc quaſi renata, nouâ pace cuncta refouente, ſub tutelâ Gallicę manſuetudinis acquieſcit. Quia variè illic bellatum, multęque mortes acceptæ, vbi Lutetię nunciatum eſt, captam eſſe Thionuillam, immenſum gaudium fuit: plena Templa gratias Dijs agentium. Aduentus quoque Enguiani, ciue obuiam effuſo, celebratior quàm moris erat, conſuetum honorandi modum exceſſit.

Fœdus nobis percuſſum cum Guſtauo Adolpho, Sueciæ magno Rege, durauit quamdiu ille: Eo exſtincto, renouatum cum

ſucceſſoribus ; inter quos Weymariæ Dux Bernardus, ſurculus Saxonicæ Domûs, potius truncus, ingentibus meritis eminebat. Sociata noſtra arma Gothicis ſub inclyto Duce : quo, peſte, non veneno ſublato, vt maligne ſparſum, ne Richelij conatibus obſtrigillaret; tota exercitûs moles Guebriantio incubuit ; qui iam militi & imperio Germanico aſſueuerat ; Herciniæ & Rheno notum nomen. Victo Lamboïo, & varijs conatibus ſemper ſecundis, proſpera illi fuerat militia : tandem, vt fatum fert virorum militarium, ſub obſeſſis Rothuelij muris, globo majuſculo, effracto brachio, ſuperſtes vrbem intrauit. Comitantibus lacrymæ obortę præbuêre ſpeciem jam non Guebriantium, ſed funus eius, viſentis exercitûs. Manſit mens immota ; &, omnibus mandatis, velut vitę & imperij debito liberato, vox defecit. Germani lamentis ac planctibus cum Gallis concurrere, nec victi à victoribus diſcerni. Certamen mœroris edebatur ; nunc in deſiderio, nunc in veneratione hærente milite. Tam viridem, & in flore ætatis fortunæque, ereptum rebus hu-

manis, iusta indignatio fuit. [Ioannes Baptista Budus, Brito, Guebriantij nomen in familiam intulit. Primæuis in annis Aulam sectatus, in cohorte Regiâ Præfectus: postmodùm, cupidine gloriæ, quâ immane quantùm flagrabat, partem exercitûs Rohanici, Rhœtiâ relicta, in Germaniam deduxit; opera sua Weymario approbata. Primus Gallorum Germanicè sciuit imperare; cum summis ætatis suæ Ducibus comparandus. Ac funus erant res nostræ, ad Rhenum & Danubium; ni Turenium successorem habuisset.]

Guebriantij exsequiæ non vulgari pompa celebratæ. Corpus illatum Fano Deiparæ Virginis: qui honos infrequens, non tam concessus viri meritis, quam vxoris Renatæ Bekiæ flagitatione extortus. Fœmina impotens, gloriæ potiùs quàm luctûs immodica, Iusta marito persoluta in sui ostentationem trahere.

In Aulam aduentat è Belgio Margareta Lotharinga. [Hæc Gastoni prauis consiliis agitato, inuito Rege, denupserat, (quod nefas in Galliâ:) adnitente maxime fratre Carolo

Carolo Lotharingiæ Regulo; qui toties fœdifragus, per normam viuendi imperſcrutabilem, ſe & ſua non ſemel euertit. Rex Ludouicus, connubialia pacta peroſus, ea reſcindere fruſtrà conatus eſt; Gaſtonis ingenium cætera mutabile (tam lubrica mente tertiùm lapsa,) in ſolius Margaretę amore, pertinax fuit. Hujus exemplo & monitu, vulgiuagam Venerem maritali capiſtro domuit; & parcus Deorum cultor flexit in ſuperſtitionem, hoc eſt, ſeruilem Dei metum; graue malum, cui duo adnata, implacabiliter nocere, & credulitatem ſemper falſis indulgere. Lotharinga primò chara & omnibus accepta: dignitate formæ non degener; caſtitate ſupra Gallicos mores: laudabili exemplo: mox, diuturnitate, in ſuperbiam mutans, Auorum gloria tumere viſa eſt, & ſacrorum immodico cultu. Non callida mulier, ſed viri ſui potens.]

Regina Angliæ, Henrieta Borbonia, Henrici IV. Filia, relicta inſula imminentium malorum plena, in Galliam ſe recipit; vbi ſplendide excepta, acribus initijs, incurioſo

fine. Recuſauit fœmina mœrens oblatos honores; cauſata, præſenti fortunæ pompam non conuenire.

Carignaca Borbonia Sueſſionia, Thomæ Sabaudiæ Principis conjux, quæ apud Hiſpanos, (quorum partes ſecutus maritus tandem in noſtras redierat, (diù morata; tam longa ſilentia apud ignaros ſuæ linguæ non paſſa, in patriam reuerſa eſt: [Vaniloquij felix: ſed & morum probitatis.]

Eliſabetha Borbonia, Henrici IV. filia & decus, Hiſpaniarum Regina, moritur. Non potuit Rex maritus, per abſentiam, aſſidere valetudini: ſic moribundæ oculi in nouiſſimâ luce conjugem deſiderarunt. Quadrageſimum ſecundum nondum ætatis annum egreſſa; breui circulo tantam virtutum copiam complexa. [Gallica comitas, grauitas Hiſpanica, pari librâ: digna fortiori ſexu prudentia; auxilium virilis curæ: ad compeſcendos Turbones ſæpiùs conſcenſo equo. Non precunculis, aut vano pietatis oſtentu per congeniculationes ad aras, ſed vi animi: Conjugis curas non æquare, ſed ſuperare.

Felices amauit, miſeros tuita eſt; ac ſi quid nimium, benignitas fuit: ſed quid honeſtius culpâ benignitatis?] Philippus, non temperans dolori, amiſſę charitatem deſiderio extendit, & ſolatio relictæ Tereſiæ; quæ, ita volentibus Fatis, nobis Regina obtigit.

Hæc quanquam non eodem tempore contigêre, conjunxi; ne diuiſa, haud perinde ad memoriam ſui valerent.

Illud fœmineæ leuitati non diſſimile, fœmina enim id procurauit, quod hoc temporis accidit. Rege impubere, cùm omnia licere ſibi exiſtiment Galli: Collinius auſus eſt Guiſium Ducem ad ſingulare certamen prouocare; quod more Auorum, non detrectauit. In auguſto Vrbis loco, prouocatorem grauiter ſaucium exarmauit; & ignouit. (Apud Guiſianos benignitas gentilitia, & pugnacitas.) Collinius mœrore & tædio vitam finiuit; relicto fratre vnico, qui ad Carentonium oppidum cecidit, magni Gaſparis Collinij, qui Orbem terrarum geſtorum famâ impleuerat, rectâ ſtirpe ſic exſtinctâ. Damnatus Collinius,

quòd imparem congressum affectarit, impulsu fœminę, quæ tantillo sanguine fuso haud contenta, Galliam postmodùm ciuili cruore, quoad potuit, respersit. Condæus rem ægrè tulit; & ne factionum studia inde recrudescerent, sopiuit protinùs, authoribus iratus.

Paulus Gondius, designatus Archiepiscopus Parisiensis, in Corinthiacum inungitur. [Pontificis Romani est, vt à Vaticano oraculo Orbis terrarum pendere videatur: sua iura etiam in partes refractarias transferre.] Ille dies primus lethi & omnium malorum causa fuit.

Casimirus, Poloniæ Princeps, Filius & Frater Regis, Sceptri immemor, depositâ persona, nec reuocante Majestate, factus est Loïolita; Romæ amplexus Institutum, quo, habitu corporis, & viuendi norma recondita, studium sapientiæ præfertur. Laudatus à summo Pontifice, qui eiusmodi mutationibus, etsi morbos animi denuncient, semper velificat: via, vt dicitur, ad melius Règnum sic ostensa. Breui Iesuitismi æstus elanguit;

guit; ad purpuram, ad ſolium, ad nuptias etiam fraternas, & non conceſſos hymenæos, animo conuolante. [Si ſemel eiuſmodi debuit attingere, non poterat minùs indecorè; cum probata Societas ciuiles mores & literas in Monachiſmum primùm intulerit: (temnunt hoc nomen Ieſuitæ.) Vtrum autem mixtura rerum mundanarum eum ſic adulterarînt, vt neque periti Aulici, neque puri Monachi audiant, commodior erit albi dicendi locus.]

Notabilis & alter ille Caſimirus, etiam Regis Poloniæ Filius, cui Mieciſlao nomen erat. Anno milleſimo quadrageſimo, Benedictinum Monachum profeſſus, Deo totum ſe vouit & ſacrauit. Ad eum, iam Sacramenti religione obſtrictum, miſſi Legati, Principem ſuum depoſcentes. Pontifex laxat vincula, data etiam venia conjugij: ea lege, vt Poloni caput deinceps in coronam ſtrictè conderent, ritu monachali: itemque nummum annuum, in Cereos Diui Petri, conferrent, indulti monimentum. Ita Caſimirus in Regnum deductus, gaudio & conſen-

ſu exceptus eſt; vxorem duxit, liberos ex ea tulit, propagato in poſteros Regno. Sic profugus, Monachus, Diaconus, patria, ſceptro, etiam vxore, cum gratia, laude, & venia potitus eſt.

Ferrarius Palauicinus, Canonicus, vt Barbarè dicitur, Regularis, Parmenſis, nobili ortu; Aulę Pontificiæ mores acriter inſectatus libellis famoſis; ceruice cæſa, Auenione, exemplum fuit, quàm intutum ſit, etiam veracibus ſcriptis, Romana laceſſere.

Harcurtius Legatione Britannica defunctus, rebus, vt rebatur, ad tranquillitatem vergentibus, euentu magiſtro, docuit, viros militares non altùm in res Politicas penetrare.

Aurelianus, magis auidus gloriæ, quàm capax; (affectati Imperij nunquam conuictus, nec ſpei nimiæ ſuſpectus; nec author cuiuſquam necis, vel conſcius, quamuis vlciſcendi cauſa non deeſſet;) ſiue otij pertæſus, ſiue victorijs Enguiani excîtus, ſiue impulſu eorum, quibus totâ vita fuit obnoxius decreuit ſe quoque fortunæ belli inſerere.

Grauelina, maritimæ illius oræ validissimum Munimentum, apud Morinos olim vltimos hominum, tanto Principe visa est expeditio digna. Auriacus Sassium-Gandauense tunc quoque obsidebat, immisso Trompio auxiliari, qui portum Grauelinæ cingeret classe Hollandica. Meilleræus & Gassioneus additi Aureliano, non vile subsidium. Distrahendo hosti & eludendo, tripertito agmine, processum, varijs itineribus. Suboluit tamen Hispanis de Grauelina; nam, repagulis aquarum laxatis, circumjacentia inundata. Eadem arte à nostris exsiccata, quâ mersa, planities. Primis diebus tolerabilis labor visus: progressu, siccâ & adustâ acerrimo Sole tellure, non pauci siti exstincti, torridis fontibus vix ad perennes amnes sufficientibus & natatos nuper riuos quærentibus armentis Aurelianus à prima luce in multam noctem in agmine conspicuus, inediæ & sitis patiens, suo exemplo docuit, quàm sit dulce gloriosè pati. Sextis castris, sub mœnibus Grauelinæ, ante ora Ducum, comparüit. Meilleræus, Gassioneus, Ranzovius, Fertęus-

Imbaussius, (posteà Stampæus Mariscallus dictus,) strenuam operam nauare. Oppugnatio more recepto processit; idest, per aggeres, fossas, fasciculos ligneos, cuniculos, fallacias insidiarum. Miles passus, occisus præfecti actibus suis superbire, & jactare vt moris, perire non pauci, innumeri vulnerari. Dux reuisit castra, non semel ipsis periculis lætus, extollit fortia facta, pecuniam largitur, afflictis opitulatur, ægris auxiliatur. Nullus fuit imbecillus cuius salus ac valetudo non ita sustentaretur Gastonis curâ, tanquam distractissimus ille tantorum onerum mole, huic vni negotio vacaret animus; non sequentibus disciplinam, quatenus exemplo, non nocebatur, ignouit, admonitione frequenti, castigatione rarâ.

Picolominus tentat suppetias, conatu non solùm vano, sed damnoso. Auriacus, cui Melos opponebatur, vrget opus suum, in Sassii-Gandauensis expugnatione; auxilia pollicetur Aureliano, dummodò indigeret. Trompius partes suas strenuè peregit. Tandem res eò redacta, vt Festo Diuæ Annæ

sacro,

ſacro, deditionis pactis vtrinque ſubſignatis. Grauelina in Aureliani manus peruenerit. Vrbem intrantis hæc vox diuina excepta eſt: *Tentemus hoc modo, ſi poſſumus, omnium voluntates recuperare, & diuturnâ victoriâ vti. Hæc Gallorum per me noua ſit ratio vincendi, vt miſericordiâ & liberalitate nos muniamus.*

Interim etiam reuocatus à Rege, gratulandi causâ; cùm victoria poſſet vti, frui maluit; nec ſecuta quidem breuis ad ſpiritum recipiendum requies.

Ex fœdere cum Suecis & Weymario inito, vrbeculæ illæ ad Rhenum, circa Briſſacum, noſtri juris remanſerant; quod hoſtibus invidioſum; Inde, Friburgum Briſcoïæ primùm illis obſidetur. Flos & robur Auſtriacarum partium Bauarus miles, & eius ductor Mercius, vetus artis, & bello ſtrenuus, valide vrbem quatit. Enguianus, qui Sauernam tum aduenerat, per Turenium de cœptis hoſtilibus certior factus, Benfeldiam, & illinc Briſſacum properat; vbi collatis cum Turenio conſilijs, nihil quicquam decreuit, niſi priùs oculis omnia exploraſſet. Sed iam

Bauari ad deditionis neceſſitatem Friburgum adegerant, ſpe maturiùs facta expeditione; Exercitu poſteà in aſpero & prærupto monte locato, ac truncis arborum cæſis, vndequaque vallo ſepti, quid agendum ſecuri agitabant: Enguianus, (in illo freto æui, ardore pugnę æſtuans,) recta fronte adoriendum hoſtem exiſtimauit; quidam obliquandum tentamentum cenſuère: ille, omiſsa arte, animo, qui cuncta vincit, vincendum affirmare. Non fuit, vix erit, acrior ardor pugnæ. Ipſe Enguianus, equo deſiliens, trudi in confertiſſimos hoſtes. Turenius à tergo præliabatur. Conſultius viſum vniri: ſic ex binis caſtris, vna facta ſunt. Octo horis, quod rarum, ancipiti fortuna certatum, per continuos imbres: madida veſte grauato militi nox opportuna ſupervênit. Diluculante poſtero die, rursùs ad arma; Bauaro, neſcio cedere, ſed pugnam ſemper redintegrante. Tandem, notatum, hoſtem non moliri fugam, ſed receſſum. Nulli mortalium tanti ſua funera, vendiderunt. Illa dies iter Gallis in Germaniam

aperuit; quam Euguianus ſic victorijs peragrauit, vt Fortunâ famulante, & Virtute adgubernante, tot ſucceſſus, quot dies, enumerauerit. Poſt Mercium victum, vinci neminem puduit: ſolum Philiſburgum, rapidum curſum retardauit. Primus turbo in illud valido impetu detonuit; quo capto, per vtramque Rheni ripam effuſus Gallus, Spiram Imperialis Senatûs, Mogontiam Electoris ſedem, & amœnam Wormatiam, ſui iuris fecit. Hactenùs noſtri cum ſingulis vrbibus: pòſt aceruatim obuia quæque inuadere, ne obſeruato quidem locorum ingenio. Bellum impar exſpectationi Germanicę gentis; cuius virtus, olim Romanorum victrix, deſita hoc rerum cardine apparuit. Eodem tempore Enguianus, vix veſticipes annos egreſſus, & prima juuentæ limina, videbatur & Germaniam conſummaſſe, & auſpicari vbique triumphos, Rheno debellato adremigans. More ignis, qui obuias populatus incendio ſyluas, interueniente flumine abrumpitur.

Pauliſper ſubſtitit inuaſio, ad Marianda-

lium, (Mergensthemium Accolæ vocant.) Ibi Turenius, [procul erat Enguianus,] alimenti penuriâ adigente, copias diuiserat pabulandi causâ : ipse hostium securus, agitare quid agendum. Austriaci & Bauari, Mercio & Ioanne Werthio ductoribus, inopinatò aggrediuntur. Collectis, quantùm passa est vrgens necessitas, copijs, vltimum discrimen non detrectauit Turenius. Ducem ac militem agens, Rosa strenuè secundante, obstitit quasi rabie percito hosti : & tandem, cùm nec Mariandalij tutus esse posset, impedimentis & tormentis posthabitis, cum equitatu circa Mœnum flumen se recepit; Tracius fortem operam in milite firmando præstitit. Cæteri nostri Philisburgum versùs elapsi, & Spiræ trajecto Rheno, Mogontiam salui peruenêre, vt Turenio jungerentur. Enguianus certior factus pugnæ improsperæ, Conismarkium Suecum, & Guezium Hessianis præfectum, (etsi reluctantes, & abiturientes in patriam,) impulit, vt tantillùm secum remanerent, donec opportunum locum ad Nicrum occupasset.

Glenius

Glenius auxerat exercitum hostilem, Mariandalico successu non mediocriter tumentem. Enguianus, Visloquij relictis omnibus impedimentis, de occupando Hailbronio cogitat, inter Danubium & Rhenum. Hostes, quibus tale consilium suboluit, indefessi properant; & montem non procul ab Hailbronij muris, ita inuadunt, vt Nicro antè fluente, nec possent nostri intrare Hailbronium, nec hostes adoriri. Ergo decretum versùs Franconiam & Danubium pergere. Conismarkius, deserto exercitu nostro, res suas egit: Hessij idem præstare conati, sed imperante & cogente Landgrauia, nobis hæsêre. Post multa hinc & inde agitata consilia, sententia fuit, hostes ad Danubium vsque pellere, & Hailbronium redire: sed vtroque exercitu singulis diebus pari lineâ procedente, non deerant leues velitationes. Diu in mutuo conspectu tormentis actum: stagnum interjacens à conflictu arcuit. Noster Norlingam versùs viam instituit; Hostilis Donauertium. Visum Enguiano Hailbronium tendere, cum repente monitus est ho-

ſtem aduentare, certandi auidum, inter Veranium flumen & noſtram aciem; id vitare facile Enguiano, niſi propoſitum pugnare.

Eius hilaritas omnium mentes ſpe implevit. Nuſquàm intrepidior, nuſquàm ſecurior. Ad preces deuolutus vterque exercitus, more laudato; animando militi, qui hoc debito defunctus, fortius videtur operari: etiamſi Dij rite vocati non ſemper adſint. Grammontius dextro cornui, Turenius ſiniſtro præfuit: peditatus, qui in medio, Marcino, Caſtello-nouo, & Bellenauio regebatur: Heſſij cum ſuo Guezio, & Hoëmio, in ſecundâ linea; Chabotus ſubſidiario militi aderat. Mouſſaius, Enguiani iuſſa quacunque circumferebat. Sed quid dicam de præſaga mortalium mente? nam Lutetiæ ante pugnam publicata victoria, nec imminentia deſtinatæ ſortis ſigna latuêre. Id aliàs apud Romanos notatum. Pagus cum caſtello inter vtrumque exercitum ſitus, tormentis noſtris validè quaſſatus eſt. Eò deſcenderunt & hoſtes à iugo montis, & noſtri pariter. Horâ quartâ, menſe Auguſto, mixta pugna ferox,

De occupando vili pago certamen videbatur. Enguianus vbique eminebat notiſſimis armis, & per ſuorum ordines ferebatur collaudans, increpanſque, prout cuiuſque facinora; ſtrenuéque ſi qua lababant, hoſtium cæde reſtituens. Cùm noſtra acies declinare videretur, Grammontius accurrit; qui, rebus reſtitutis, cum Chatreo captus, Monachum Bauariæ metropolim deductus eſt. De dextro cornu conclamatum erat, niſi Turenii virtute, qui ſiniſtro imperabat, infuſus eſſet militi animus. Eò etiam Enguianus aduentat, iterùm ſaucius, equo iterum cæſo. Hoſtis, quantâ potuit pertinaciâ defunctus, coactus cedere Donauertium versùs, qua vrbe direpta Danubium tranſmiſit; nuſquàm tutus, niſi eo traiecto. Non conſultum viſum perſequi: capta ſunt tormenta & impedimenta, plenæ victoriæ ſigna. Occiſus Mercius, Dux primarius, captus Glenius, & Holſtenii Dux: quatuor millia deleta, bis mille capti. Enguianus, omni gloriâ in Turenium deriuata, Norlinga potitus eſt. [Quàm Coniſmarkio, proſperis rebus anxio quòd de-

fuiſſet, debuit dolere, quòd ſanguine Au-
ſtriaco Suecicos, ideſt, ſuorum Manes non
placaſſet, nec lauiſſet campum paucos ante
annos tanto cruore reſperſum! nam noſtri
eandem quàm Sueci priùs, arenam inſede-
rant: iterùm maduêre eadem noualia, ite-
rùm acies vidit infeſtas Norlinga; ac per ge-
minum Martem ſtricta planitie, ignobilis
vrbecula fuit nobilitata: tanta autem cele-
ritate perlatus ſucceſſus, vt ante Rex viciſſe
quam bellare cognoſceret, nuncioſque peri-
culi, victoriæ præceſſerit nunciùs, ſed reue-
rà, vt jam dictum; præſagium fuit, non
curſoris velocitas.]

Tot laboribus fatigatum Enguiani corpus
morbus tentauit; quo excuſſo, rediit Lute-
tiam. Nihil vrbem præter Enguianum ſo-
nare, ingentia eius animi bona, illam indo-
lem qua magnos Duces ea ætate anteceſſit,
in ſubeundis periculis conſtantiam, in rebus
moliendis efficiendiſque velocitatem; in de-
ditos fidem, in captiuos clementiam; in vo-
luptatibus, etiam permiſſis, temperantiam.
Hæc omnia inuidi fœdari vulgabant, magi-
ſtellis

ſtellis vilibus auſcultando, ſcurrilibus conviuijs indulgendo, probos & graues irridendo ſarcaſmis, parcimonia pluſquàm paterna; tales inconſultæ fuere nonnullorum voces. [Creditum ſapientioribus, ſucceſſus aceruatos cauſas fuiſſe omnium malorum, quæ poſteà ſecuta, eius magno damno: adulationibus corrupta Principis mente, qui ſibi nimiùm fidens & falſis conſilijs, omnia patratis deberi, ac nihil poſſe ſibi negari arbitratus eſt. Sed de his & ſimilibus aliàs plene & vere.]

Relicta conſummatâ Germania, in Belgium animos tumentes conuertit: vbi Aureliano & Auriaco junctus, ea geſſit, quæ ſingulariter narrata multorum voluminum inſtar exigerent, ſed hæc iuſti operis materia ſunt, non tam reciſæ & arctatæ Epitomes, in qua magis decretum neceſſaria prætermittere quam ſupervacua amplecti; In tranſcurſu, etſi alieno loco & tempore, ſufficiunt hæc pauca; Aurelianum, maritimâ orâ Flandriæ ſubactâ, & non paucis vrbibus illius tractus in Gallicam poteſtatem redactis Lutetiam re-

dijsse fruiturum fama sui; adamantino proposito, nunquam tales curas attingere, quod exsecutus est bona fide, armis ad postem Gradiui æternùm fixis.

Turenius in Germania post discessum Condei solus legionibus Gallicis imperans, Augustam cepit Treuerorum præsidio Austriaco deditioni adacto; Hinc ansam bellandi ægrè & carè Richelius noster olim præstinarat, scilicet ob Archiepiscopum Electorem male habitum ab Hispanis, cum totius dynastiæ noxa; sed quæ clades inde ortæ, damnoso suspetiarum appulsu, idest per remedia malo pejora? *Electorum præsertim Treuerensis & Mogontini prudentia circa hunc cardinem verti debet, vt inter Gallicum regnum & Austriacam gentem, duraturas æternùm simultates, quoad poterunt, componant, certi non posse collidi illos Europæ vertices quin ipsi fatiscant, victi gemino pondere. Non adulari imperantibus, sed nec irritare aut lacessere, inter abruptam contumaciam, & deforme obsequium pergere iter, ambitione ac periculis vacuum, abjecta omni specie superbæ libertatis: cum bonâ veniâ*

Germanicæ gentis, inclinatio facta in eius robore, in opibus, & fere in animis, non dixeris esse vltrà Martis illos pullos, fuerunt, nec olim & Romano solùm æuo, sed Caroli Magni, atque infrà perseuerarunt in Fridericorum, Othonum, & Henricorum rebus. Quàm multa egregiæ fortitudinis opera quæ nunc languescunt.

Sed ordo rerum diù me ad res Italas vocat, vbi prospera omnia, & ad inuidiam sæculi. Hæc est illa tempestas, qua Gallia maxime viguit, quodam veluti flore virtutis. Si qua juventus, si quod robur, tum vere robusta, & par Orbi terrarum esse cœpit.

Iam finis Vrbani Pontificatûs appetebat, cum in Italiâ bellum exarsit. Paulus III. Farnesius, familiæ suæ commoda, si vllus Pontificum, promouit; in hoc solùm intentus, vt ditionibus extra priuatam sortem suos attolleret. Inde Parmæ & Placentiæ Ducatus, & Castrensem, eis & in eos contulit Castrum, non vrbe procul, agnatis & nepotibus Pontificum malignè & oculis limis semper aspectum. (nam liberè fatendum, nihil est quod nepotago illa magis

ambiat, quàm eximi fortunæ vulgari. Ab illo apice rerum, ad primam conditionem reuerti, intolerandum.) Forſan Vrbanus in æui flore moderatus eſſet ardori nepotum, qui à conclamato ſene facile impetrauêre, vt bellum Parmenſi indiceretur, ob Caſtrum creditoribus, quos Barberini ſuſtentabant, oppigneratum, & in prædam illis iuridice ceſſum. Alia ſuberat cauſa, turpicula quidem, & quâ ſorderet hiſtoriæ dignitas, ideo reticenda. In notis ad hos libros elucidabitur, vt multa alia, nunc vt expedita, obſcura. Ergo armis aptari, recludi theſauros Eccleſiæ, ſcribi militem. Quid illis mentis fuit? Non frui partis, ſe & ſua Fortunæ credere, inuidiam totius Italię in ſe deriuare, hoſtes ſibi conciliare validiſſimos Principes: (nam Veneti, merito ſemper infenſi Pontificię poteſtati, Etrurię, & Mutinę Ducibus iuncti, defenſionem Parmenſis fortiter ſuſcepêre.) Sic inſolentes armorum, Eccleſię proceres merſi ſunt bello exitiali: quod geſtum fere ſemper ſecundâ militiâ; ſed cum neutris partibus diuturnitas belli ex vſu eſſet, res compoſitę,

poſtea

postea sub Innocentio recrudnere.

Sopitis Italię dissidijs, Vrbanus VIII. fatis concessit, annorum, honorum, & opum plenus; gustatis fere annis Petri. Mortuo Vrbano, magnus dissensus Eligentium in Conclaui, cum noxa Religionis, (pœne dicam probro.) Fluctuans & incerta electio, Pamphilio prona fuit, forsan deteriori. Barberini apud Vrbanum patruum, omnia quæ vellent, poterant; & plusquàm æquum decorumque erat, volebant. Mansit illis aura secunda, quamdiu sydus illuxit; post eius occasum, omnia aduersa. Nam Innocentius. (ita Pamphilius voluit dici,) quamuis operę & gratię Barberinorum, plurimum deberet, inter primas publicas actiones eos euertere conatus est; & quasi fecit, nisi obstasset Gallus. [Vbi tunc Roma fuit? Multi Pontificis seueritatem & ingratitudinem accusare: sapientiores incerta rerum humanarum sub illustribus exemplis agnoscere; fere vilium hominum pœnâ perijsse, qui dignitate & opibus culmina paulò ante fuerant rei Romanę.] Gallia visa afflictis tutissimum asy-

lum : venère ſupplices, genibus aduoluti Mazarini, quem toties erant dedignati; cùm, ſibi ſoli in pretio, alios tanquam ex ſolio deſpicerent. (Nullam injuriç imaginem perferre; ſed ſolo aſſenſu eorum corrumpi, qui adulationis præmia quçrebant.)

Id ſolenne Pontificibus, odiſſe agnatos anteceſſoris, quòd omnia expilarint. (Obſeruatum tamen, Deo vindice, diuitias ita partas non diù duraſſe.) Nullo exemplo deterrente, ſoluti omnes: nec frui ſatis eſt. Non intendere acriter in publica: quid enim rei non diuturnæ, nec poſteà ſuorum? Subitis auidi, & inter incerta feſtinantes, præſentibus inhiare; lucellum in omni occaſione captare, ita juſtitiam minùs coli, & oculos claudere in noxis; per gratiam & mercedæm indulgere.

Barberini excepti in Galliâ benignè. Mazarinus, quos expertus erat ſuperbos, depreſſos adjuuit. Ei autem ita diſplicuit electio Pamphilij, vt Antonio Barberino grauiter inde mulctato, præ mærore periculose decubuerit: Vnde multorum ſpes auidæ, præſertim Chauignij. Grimaldum Cardinalem nonnulli Reginæ obtrudere. Regina neutri

fauere, ſed opperiri valetudinem Mazarini: qui reſtitutus, in conſilia æmulorum penetrauit, & tenuit repoſta altâ mente, præſertim in Chauignium, quem ex illo, occulte ſemper inſectatus eſt; quod cùm Chauignio ſuboluiſſet; cauſa fuit præcipitandi immatura cœpta.

Cum Innocentij graue ſupercilium non facile nouelli Parmæ Ducis auſa toleraret, iterum ad arma ventum; ſed primo impetu Copiæ Parmenſes adinternecionem cæſæ ſunt. Earum ductor Gauffredus Gallus Medicus arte, qui gratiæ Eduardi defuncti irrepſerat, incertum, quibus illecebris, fautor diſſidij, Placentiæ vltimo ſupplicio affectus eſt, victima rerum ſarciendo dedecori. Conciliator Rex Galliæ per Bichium Senenſem, cum Donghio Genuenſi pacis ſequeſtro à Pontifice. Quæ Mazzarini gloria; per Belgium, Germaniam, Catalauniam, Taurinos, Inſubres, Gallica arma triumphare, ſed & conſilia pacifica ſexennis regis valere, ſub tutela reginæ externæ, irrequieto ſemper regno, facto tranquillo.

Fuit, si vnquam, Gallia prudenter recta. Alta tamen illa, Sermunculis ac judicijs peti & carpi. [*Scilicet grauamur imperari: & quamvis benè ac vtiliter aliquis agat, tamen hoc & illud damnatur; & semper est quod non omnibus placet,*] *Inde voces apud vulgum, & in circulis.* [*Sed nullum magnitudinis animi certius argumentum, quàm spernere; potentiâ supra læsionem, gloriâ supra infamiam. Sedatio mentis decet imperantes; & contumeliarum patientia ingens instrumentum ad tutelam Regni. Mazarinus solâ pœnitentia, nunquam pœna, contentus, qui famæ suæ stigmata inusserant, honoribus promouit, & opibus auxit. Reginam sæpè sic allocutus. Non tantum habemus otij, vt implicare nos istis cognitionibus debeamus. Si hanc fenestram aperies, nihil aliud agi sines; & omnium inimicitiæ hoc prætextu ad te deferentur.*

Enguianus in Aureliani locum suffectus iterum in Belgium Missus, statim Dunkerkæ obsidioni incumbit, Gassioneo & Ranzouio secundas tenentibus. [Dunkerka, piscatoribus olim sedes, posteà Piratis; statio semper nauibus malefida; portus celeberri-

berrimus euasit, vnde in vtriusque mundi fines ancoræ solutæ. Maris terror; Occeano, hinc stagno vallata: inclyta Cæsareis triumphis, & eius in Albionem transitu ac reditu superba. Pertinax obsidio fuit, acri defensione, & situ difficili; quæ omnia Condæi virtus superauit. Ranzouio præfectura data captæ vrbis; quod absonum visum. [Ranzouius natalibus Cimber fuit, ex Holsteniâ regione; manu strenuus, nec consilio degener. Nullus majori facundiâ res bellicas explicuit. Cæterùm, vini nimius; inde contemptor periculorum. Nullo membro sine vulnere, truncum vidimus.] Rebus nostris turbidis, vt posteà secutum est, titubavit fides Cimbri; qui blandè eductus Dunkerkâ, in carcerem deinde conjectus est: (documentum; non fidendum peregrino.)

Maria Gonzaga, Caroli Niuernensis, posteà Mantuæ Ducis, Filia primogenita, Regi Poloniæ desponsata, vrbe digreditur, & ad maritum deducitur per Belgium & Germaniam, Regali pompâ. Legati à Polono Rege, & eorum asseclæ, longo ordine in equis su-

perbè ſtratis Pariſios percurrere. Vidiſſes effuſam plebem mirari pellitos Getas, pileolis Zebelina pretioſa ſuffultis, grauidas plateas emetiri; alimentum ingens Lutetiacæ garrulitati & leuitati.

Cùm Lotharingię Dux Carolus à nobis non ſemel defeciſſet, Aquilas Auſtriacas & ſigna infelicia toties ſecutus; tandem dynaſtiam ſuam juri noſtro reliquit: in prouinciam redactâ nimirùm vicinâ Galliæ Lotharingia, reſtabat vnicum Munimentum, Motta vulgò dictum; quod expugnandum, vt nihil ſupereſſet indomitum. Talis prouincia poſt Magaloti fatum immaturum, mandata Marchioni Villaregio; quò tali obſidione inclareſceret, & Polemarchi dignitate augeretur: iuuentæ Regis magis ex decoro præfuturus. Præda facilis fuit, Mottæ præſidio ſpe omni ſuppetiarum deſtituto.

Cadente anno 1646. Henricus Borbonius, Condati Princeps, nondum ſexagenarius, deceſſit facili exitu: flebilis Galliæ, illo rerum cardine; vt qui prudentia & pari juſtitia continebat res vergentes in deterius. [Natus

erat apud fanum Egerij in Santonibus, posthumo partu; patre veneno exstincto, pessimis artibus. Henricus IV. exprolis eum tanquam futurum hæredem omni cura excoluit. Nouella Religione, quam cum lacte, ab auo & patre ttanslatam, suxerat, ex animo tenello depulsa; Catholicis ritibus ita innutritus est, vt posteà grandior factus, capitalis hostis Nouitiorum audire affectauerit, vano ostentu; valituro, vt putabat, si casus daretur? sed hoc semper infra magnum Principem qui nihil tale nimis amare, nec odisse debet, & quem altus erestúsque animus decet eiusmodi spretis. Carlotæ Mommoranciæ, conjugium pœnè illi exitio fuit. Nam fugiens Henrici Regis riualitatem, Belgium vxoris pudicitiæ asylum quęsiuit. Hinc per Germaniam arcto comitatu Mediolanum, ad Fuentium Comitem, se recipit. Trucidato Henrico, cùm impium seculum æternam noctam meritò timeret, Condęus redux in Galliam, Turbonibus infeliciter se addixit. (Moris est recepti in nostra gente, pueritiam Regum sic inquietare: scelere tu-

to, ideòque frequenti.) Compositis dissidijs, quibus præfuerat Condæus, vindictæ Regiæ securus, per abruptum in Bastilliam arcem, hinc Vincennas detrusus est. Durauit tædium carceris annos quinque, comite coniuge; vnde Annam, Longauillęo Duci nuptam; hinc liber posteà, Enguianum & Contium tulit. Aquitanię primùm, illinc, Burgundię ac Bituricensi prouincię pręfectus, mutauit genus vitę, attentus rei; ex simulatâ segnitie remedium malorum quęrens. Dites olim familię Principum, & claritudine insignes, studio magnificentię prolabebantur. vt quisque opibus paratu-ve speciosus, per nomen & clientelas illustrior habebatur. Magnitudo illa, & fama liberalitatis damnosa primoribus, Condęum ad sapientiora conuertit: qui priore angustia deterrente, domesticam parcimoniam intulit primus è sua stirpe accumulator; ad pecuniosam senectam peruênit. Quibusdam creditum, non sorditiem in eo, sed imitamentum sorditiei. Nullus melior dominus, nullus melior seruus, idest obnoxius gratiosis.

ſis. Nihil viuacius illo ſpiritu : mira dulcedo , mira hilaritas. Voluptates ſtudijs condire , comitate conuiuia trahere ; delectari nugis, non affici : hoc temperamento modeſtiæ indicto , vt nunquam imperare videretur. Copiam ſui, non vt imputaret, ſingulis facere. Nihil Condæanæ vitæ genere diſtinctius : omnia apud eum diſpoſita : ſingulis annis ſua, velut ordine, circumagere. Suopte ingenio animoſus, vbi formido Aulæ inceſſiſſet, pauens.]

Decubuit periculosè Rex ; vnde timor non vanus. Exanthemata ſe prodidêre, dira lues, venuſta oris populans liquor igne ardet. Conualuit, ſaluâ majeſtate, tantillùm ſtigmoſus. Interim, præceptis Harduini Perefixij, Beaumontij Abbatis, adoleſcebat, amœnâ grauitate & ſapientiâ viri, poſteà Archiepiſcopi Pariſienſis, qui Regi Seneca, niſi quòd in Trajanum incidiſſet.

Neapolis ſecuta eſt malignum aſtrum rebellandi. Arcos Dux, Proregem agebat, vt mos Ibericus, ſuperbè, Populi conqueri, quibus non ſit ſatis. Orta ſeditio leui præ-

textu. Tributum fructibus impositum, quibus illa gens impensè delectatur. Iuuenes palabundi & armati, per vrbem vociferari, minitari, concitare ciues, obsidere palatium. Neapolitano tumultu augescente, forte fortunâ Guisianus Dux, Romæ tunc aderat, de omnibus alijs, quàm de apiscendo Regno cogitans. Vocatur à Republicâ Neapolitanâ, adhuc recenti à partu; (ita enim voluit indigetari.) Ille se quæri quasi indignatus, vltrò aduolans, prorupit; scaphę exili se & Fortunam suam committens. [Quantum fati tulit parua tabella! reliquias scilicet Guisianæ Domûs, quâ nihil illustrius in terris. Digna regnare, nisi temerè hoc in Gallia voluisset.] Appellit Guisius feliciter, etsi per mille pericula: applausu populari exceptus, idest immodico; nam talibus nullus terminus. Non se capit exundantis seditionis magnitudo; pompa se prodit, vt appareat non ingentior esse, quàm verior. Dux novellus varijs fatis jactatus, insueto honore lætatur. Nunc reputat quid possit, sed præsertim quid Gallia velit; cujus non semel,

frustrà, auxilium implorat: (seu alijs curis districto Regno, seu diffidentia populi volubilis; seu non tantum subdito concedi, spe auorum durante.)

[*Neapolis opus est illius Phalaridis, Siciliæ Regis, qui admoto tauro perjuria dictabat. Primò Respublica, vt aliæ Græcanicæ. Augustus, primus adjecit Imperio Romano; post cujus diuisionem, suis Ducibus paruit. Rogerius Siciliæ Rex, sui juris fecit. Hinc Gothi, Vandali, Alani, & Saraceni; etiam Germaniæ Imperatores. Tandem peruenit ad nostros Andegauenses, Ioannæ Reginæ testamento: hinc per aliam Ioannam, ad Aragonios; inter quos, & inter nostrum Ludouicum XII. pro tantâ prædâ horrida bella. Aragoniorum fraude, bipertitum bonâ fide Regnum solis illis cessit, & adhuc remanet. Omnium, non modò Italiâ, sed toto Orbe terrarum, pulcherrima illa ora: nihil mollius cœlo, nihil solo vberius, nihil hospitalius mari: bifera omnis arbos & pecus; lætatur messor subitis aristis; augescunt pastore attonito greges: tanta autem salubritatis temperies, vt Naturæ veneriantis videatur opus.*]

In beatissima luce non diù durauit Gui-

ſiades. Ioanne Auſtriaco aduentante, (Regis Hiſpaniarum Nothus erat.) redeunt populi ad obſequium: capitur Guiſius Reipublicæ Princeps deſignatus, & in Hiſpaniam captiuus deducitur. [Quid mirum! *anthoritas Regum ſemper tempore valeſcit. Ira ſubditorum, morâ interit. Qui fidit motibus, decipitur, & decipietur in æternum. A populo quid niſi inſtabile; vt arbori cognomini nulla vmbra, ludentibus ſemper folijs? Committere ſe plebi, traijcere eſt torrentem per putrem aſſerem.*]

Ad caput & caudam Rheni, ſolæ duæ nationes firmæ ſteterunt in defectione, Heluetij & Hollandi; vtraque, excuſſo Auſtriaco jugo. Hi in aquis; Illi in montibus libertatem fundarunt. Hos tuentur repagula aquarum, Illos crepidines montium; Hos diuitiæ, Illos paupertas: Illi demptâ omni Summitate; Hi, aſſumpto Capite Auriaco, & ejus ſobole. Illic omnes omnibus parent, Hic dominos rerum Curia Patres oſtentat.

Interim Princeps Thomaſus, cum noſtro Pralino, in Inſubria & Taurinis, ea in priſtinum ſtatum reſtituebat; quæ, Duce tenello, & Chriſtina vidua, varijs altercationibus

nibus peſſundata videbantur. Thomaſus, relictis Hiſpanis, amplexus partes noſtras, varijs prælijs, (Santiâ vrbe, & Trino, cum alijs, captis,) id tandem conſecutus erat, vt Gallica arma illàc paſſim dominarentur. Sabaudiæ Regulus, cum matre, Auguſtæ Taurinorum, à quâ diù exulauerat, conſenſu noſtro redonatur. [*Quicquid agant Sabaudiæ Duces, precariò regnant; hinc à Gallo, illinc ab Hiſpano preſſi. Cui obnoxij eſſe debeant, in dubio eſt. Præſtat tamen, Gallo; cùm ejus imperio, ditio Sabaudica & Pedemontana pœnè ſubjecta ſit; & quidem Regi ſummo, qui eò aduolat ipſe, non per vicarios. Diſpar ratio Ducatûs Mediolanenſis: minùs timenda illa potentia, quia minor, & per miniſtros regitur.*]

Viſum tunc temporis opportunum, (non vindicandis Barberinis, quod vulgus credidit, nec propagandis finibus; ſed terrendo Innocentio, qui in Pontificatum irrepſerat, inuito Mazarino;) haud Româ procul belligerare. Ergo Thomaſus, cum exercitu Gallico, Orbitello ſe admouet. Initiò omnia Fauſta; dein inhoneſto Fine: nam ſoluta

obsidio, defensore strenuo Carolo Gatta. Classis nostra, Brezeo Duce, postquàm feliciter maria peruagata esset, illuc aduentarat, cœptis Thomasi promouendis; sed, incisis fatis, tormenti ictu, Brezeus moritur: exstincto sic altero lumine Richelianæ stirpis;

Mirum, quòd Rege ætate imbelli, dissensu Principum valescente, potuerit Mazarinus tantum potentiæ vsurpare, vt nouum exercitum subinde illuc mandauerit, Meilleriaco imperante; qui Piombinum, & Longonem Portum, in Helbi Insula, vi tormentorum, ad deditionem intra paucos dies coëgit. [*Est Insula Helbis antiquis celebrata; plumbi, stanni, & vitrioli ferax; sed imprimis ferrigena: suo fonte illustris, qui suis aquis taxat mensuram dierum, solstitio hiberno arescens, æstivo exundans.*]

Catalaunia, Principatus est in Hispania citeriori, Aragoniæ Regno olim adjunctus. Ille quoque, secutus syderationem; quæ tunc regnabat, deposito iugo, Regi nostro certis legibus se addixerat. Ipsis temporibus Richelianis, primus Mottanus Polemarchus

eò missus, ad regendam Prouinciam. Multa ab eo præclarè gesta; non solùm Catalauniâ iuris nostri factâ, (exceptâ Ilerdâ, Harcurtii & Condæi ludibrio;) sed per Flixii possessionem, etiam penetrato Aragoniæ Regno; Mottanus, conquestus, quòd omnia sibi ægrè ministrarentur, & inde vix parem se posset præbere Ibericis assultibus, rebus nostris ibi in deterius vergentibus, reuocatus; Lugdunum cúm peruenisset, Rupi-cæsę, (quod ibi Munimentum,) inclusus, per motus ciuiles, posteà liberatus est.

Harcurtius in eius locum suffectus, acri, obsidione cinxit Ilerdam: & cùm Hispaniæ Rex ad Fines Catalauníæ, primoribus Regnorum suorum stipatus, aduentasset; obsidio soluta est; quod inglorium Harcurtio, post tot decora rerum. *Id fatum obsidionum, vt nulla certa sit. Sic Alexander magnus ad Tyrum, famam suam in discrimen misit: Sic Carolus Quintus ad Metas, metam gloriæ inuênit: Sic Solimanus Viennæ obsidionem non sine nominis noxa soluit.*

Aula Gallica, Sueta victoriis & trium-

phis ægrè tulit Harcurtij casum; & quò Hispanis pudorem refunderet, Condęum successorem delegauit, quasi nomine suo cuncta debellaturum. Condęo eadem quę Harcurtio Sors. Tentauit Ilerdam, & retrocedere coactus, didicit tunc primùm posse Vinci. (Tamen Hispanos à Constantino obsesso gloriosè depulit : hoc in Catalauniâ vnum opus edidit.) Aderat Hispanię Rex in viciniâ, rebelles promissis & blanditijs, nonnullos terrore ad se reuocans. Per hæc omnia Iosephus Margaritus, qui author rebellionis, strenuam operam Gallis nauabat, solus recusans ad obsequium redire. Quæ fuerit postmodùm fortuna viri, paucis alibi attingam. Strenuum & Fortem ne inuidia quidem negauerit.

Relictâ ab Aureliano & Condæo Flandriâ; Gassioneus facile toti illi tractui imperitabat; Metationem suam Cortraci, vt plurimùm habens, prosperâ fere semper militiâ. Animi impetu victus, fræna rationis sæpissime excussit : sed felici turba successuum inflatus, nihil sibi arduum putare.

Dum

Dum Lentium obſidet, & palum malè impactum ſolidiùs firmat, globo majuſculo effracto capite, paulò pòſt deceſſit. [Natus erat in Bearniâ, non obſcurâ origine; Relictâ Galliâ in Germaniam, motus famâ Guſtaui, ſe contulit; atque inter ejus vexillationes, cùm ad mortem tanti Regis militaſſet non ſine gloriâ, duce Weymario ad nos redijt. Richelio primùm, dehinc Mazarino, operâ ſuâ approbatâ; nihil omiſit quò inclareſceret. Largus animo, non par opibus, quas tamen nunquam probis deeſſe paſſim aſſerebat, vetere egeſtate conſpicuus: magnis inimicijs nouitatem ſuam nobilitauit, omnia incrementa ſibi debens. Circa vitæ extrema, Aulæ grauis. De Cromveliſmo culpatus; tanquam cogitaſſet in Angliam trajicere, vt Tyranno ſe addiceret; Quidam ad Hollandos. Tandem ex vulnere obijt. *Fortè melius, inter ſtrenua opera ſemel perire, quàm diutiùs viuere precariò, injuriarum patientem.*]

Sub id tempus, Reſpublica Veneta à Turcarum Imperatore oppreſſa, ne-

quicquam Christianorum Principum suppetias inuocabat. Occasio belli fuit talis. Melitæus Eques Rhodiam triremem, in mari Ægæo deprehensam, sui juris fecit, in eâ Sultana aderat; quæ Melitam translata, malorum fuit initium. Infremuit Musulmanus, conquestus apud Legatum nostrum de illatâ sibi injuriâ, quasi Melitensis militia ex nostro arbitrio penderet. Sed apud Venetum Legatum præcipua fuit querimonia, quòd triremus Venetæ laboranti suæ non tulissent opem. Deliberat de inuadendâ Melitâ; & cùm difficultas operis repræsentaretur, cogitauit de Siciliâ; hinc de Calabriâ: tandem vindictæ impetus in miseram Candiam deferbuit.

[*Insula illa, Crete olim dicta, à Metello in Prouinciam redacta; posteà Græcis Imperatoribus, hinc Saracenis paruit: tandem à Balduino, Flandriæ Comite & Imperatore Constantinopolitano possessa, Bonifacio Marchioni Montis-Ferrati donata est; à quo Veneti emerunt, & ei hactenùs sub Regni titulo, dominantur. Nomen accipit à primariâ vrbe, Candiâ dictâ. Fabulosi Iouis Ser-*

perastris, Phasiphaës illicitis ardoribus, inextricabili anfractu Labyrinthi, & Dædali pennis non homini datis, Famosa regio. Hanc tuentur adhuc Veniti nullo auxilio, dum Europæ Reges pugnant de exiguo puluere. Quid Fatum Venetis struat aut moliatur, nescio: Nulla quidem gens ab Orbe condito sinceritatem seruauit præter istam; & profiteor in terris me vidisse nihil eorum dominatione justius.] Rhodus Melitæo Equiti extorta. Cypros ijsdem Venetis erepta. Illa macaria, illa beata aëris temperie, & Veneris natalibus ac secessu; illex fuit Othomanis, ad Cretæ prædam.

Hoc anno, Scorta, & Lenarum omne genus vrbe pulsum, non Senatûs-consulto, sed Prætoris Edicto. Mota Vrbs venustior judicio. Quidam asserunt, non paucos Sacris addictos, ingemuisse tantæ tetricitati. *Vix atrociori lege*, aiebant, *approbatum, non esse curæ Magistratui lætitiam publicam; esse vltionem, & morum tristitiam. More inter Veteres recepto, nullis sanctionibus libidinem fœminarum fuisse coërcitam: apud Græcos & Romanos licentiâ stupri vbique permissâ, etiam à Summo Pon-*

tifice. Nec Reipublicæ vnquam interfuisse, quid faciat illa vel illa de cute suâ. Satis supplicij in professione flagitij. Ita narrabatur apud otiosos. Quidam insolentiores eò vsque progressi: *Ideò Mystas ali, & tot Funigeres ac Cucullatos greges, vt propitient numen obortis peccatis. Vtilia esse generi humano ejusmodi purgamina, vitandis grauioribus. Meretricem, si rectè ponatur calculus, nihil aliud esse quàm Animal blandum, innoxium, gaudia ferre paratum viris sitibundis omnibus horis. Id beatius illas æstimare, quàm illaborare officinis, ingemere agris. Per Lenas autem jugari corda mortalium; non auocari juuenes, sed tali ministerio juuari, per compendia rerum.* Hæc & ejusmodi jactari in vrbe, & in Aulâ præcipuè. Sed, vt apud nos fieri amat, acribus initijs cœpta, incurioso fine exoleuêre, segni inuestigatione: *Nam qui amant, non sæuiunt; nec grauissimè puniunt, quod maximè imitantur.* [*Ego emendatissimos existimo, qui cæteris ita ignoscunt, tanquam ipsi quotidie peccent; & ita peccatis abstinent, tanquam nemini ignoscant. Proinde in omni vitæ genere tenendum, vt nobis implacabiles simus, cæ-*

teris exorabiles. Qui vitia odit, homines, odit. Magnâ curâ, præcipuoque studio, impetus libidinis, & similes furores, ab illustrium virorum & feminarum pectoribus, consilio ac ratione, submouendi: quia demùm hi penates, ea ciuitas, id regnum æterno in gradu facilè stabit, vbi minimùm virium Veneris libido sibi vindicarit. Quò ista generis humani certissima pestis penetrauerit, ibi infamia flagrat, & injuria dominatur. Hæc igitur longiùs relinquenda, & mores sequendi tam diris vitijs contrarij. Indignum erat ea mouere, quæ mota fœdè exhalabant; & sæuire in triobolaria prostibula, cùm Fœminæ illustres impunè corpora vvlgarent.]

Actum tunc, an ad moderandas Sequanæ exundationes, an verterentur riui accolæ per quos augescit fluvius; an ipse per alueum minuendus. Tandem, siue difficultate operis deterrente, siue vitandis sumptibus, nihil mutatum: [Nec mutabitur vnquam, nisi cùm fuerit mens læua Gallorum. *Optimè Natura parens rebus mortalium consuluit; ora fluminibus, cursus, domum & fines, vt æquum est, concedendo.*] Sic nec alueo im-

O

minutus, nec auxiliaribus aquis orbatus, non inglorius Sequana eâdem pompâ fluit.

Mazarinus, ne bella tantùm curare videretur; in gratiam Literatorum, instruxit Bibliothecam Libris per multa secula legendis : inter quos nullus erit illustrior, quàm qui Gesta Viri continebit. Cernere erat tecto tenus extructa loculamenta, vbi per studiosam luxuriam, non ornamenta Palatij, sed instrumenta sapientiæ, non in spectaculum sed in vsum disposita docta congeries, ad quam non se æquiparent magno certamine Alexandriæ & Pergami regum instituta tot voluminum conditoria, nec demùm Pollionis, qui primus Romæ Bibliothecam dicando, ingenia hominum rem publicam fecit. Parauit & Equitij omne genus. Vidisses ad superba præsepia quidquid nepotum generosissimæ admissuræ, longo stemmate eduxerint. In ædificando, vt in cæteris, magnificus, Palatium supellectile ad inuidiam pretiosâ ornauit: picturis signis statuis, quasi Romam, Lutetiam aduceheret. Studio, elegantiâ, & animo

Regio, exempla magnorum regum ſequutus. In conquirendis autem & talibus propagandis, ne ad priſtinas ſordes Gallia rediret, opes, quas alij in ſuos vſus; præſentium ille & poſterorum delectationi impendere. At quis putabit tam dira nos aſpectura tempora, vt degeneri veneno per Senatus decretum, Publicâ licitatione, iſta omnia diſtrahi potuerint. Nec prætereundæ gemmæ in quibus congerendis neſcio an plus animi, aut fortunæ fuerit; Certe earum fama ſparſa per remotas Mundi plagas, mouit magnum Mogorium, cui Septentrionalis India paret, vt per mercatores hic euulgaret, paratum ſe emere quidquid lapidis pretioſi Lutetiæ Agram aſportaretur: Poſtquàm Mazarino eſſet abunde ſatisfactum: (eſt illa tanti Dynaſtæ metropolis.) *Mogorius, Pretioſi Ioannis, Æthiopiæ interioris, ideſt Abiſſinorum Imperatoris, Vineæ celebratæ inuidens; voluit & ipſe pari luxu inclareſcere: ita vt & ſuæ etiam palmes tortilis, auro puro putoque ſolidaretur, idque non ſtipite ſeſſili, vt apud Abiſſinos, ſed arrectario: ſaphiro pyropoq ſplendeſceret ra-*

cematio, conspicuis areolis adamantina, & smaragdino virore pampinaret. Ex sterili fundo nulla pressura: prouentus infertilis beat vinitorem, & nunquam eius spem mentitur, contentus solo oculo vindemiatore. Confluxerunt hoc tempore non pauci ex nostris Agram, & beati remearunt.]

Automata etiam Comicis actibus, splendidè structa, aduocatis vndique Actoribus. Nihil felicius illius æui Lutetia. Publicè triumphabat, nihil domi timens. Nulla mala factionum, nulla insidiarum atrocitas: nullâ suspicionum ægritudine Aulæ sereno violato. Regina Mater, nondum fatis exercita, eorumdem clementiâ experiebatur, nihil suo Imperio esse jucundius. Mazarini in cognitionibus justitia apparebat, & summa comitas erga eos qui querelas & desideria sua promebant. Singulis horis ad aures admittere, remoto omni tetrico Admissionali: nullum finem sermoni facere; Sed pudorem admissorum. Sejunctâ ab omni calumniâ viri gloriâ. Sanare, si quæ vulnerata, non rescindere: nec in omnia auxiè inqui-

inquirere; vt apud nos inueniſſe bonos, non feciſſe crederetur. Pecunia per vrbem laxis habenis vagari: nec adhuc vulgabatur Iulius de accumulandâ cogitare; qui etſi naturâ parcus, famam liberalitatis aſtricto donandi more conſequebatur. Nondum palàm inuaſerat hominem habendi cupido; poſſidere, non poſſideri videbatur. (Vt liuor, & ærugo falsò poſtea locuta eſt.) Munera publica, dignitates Eccleſiaſticæ & Seculares, non mutilæ, non imminutæ juſtâ ſui parte, ſolius erant præmia virtutis. Nondum fides Aulicorum pretio pignerata. Quis putaret tam ſubitò omnia mutata, & in tempeſtates hibernis majores verſam æſtiuam hanc tranquillitatem.

Primus Literatorum grex, (cui tamen inſtituerat & dicauerat Bibliothecam,) morſicare & arrodere Mazarinum varijs Scriptis, ſed non paſſuris longam diem, vt pleraque Gallorum. [*Notatum hoc, ab ingenijs gentis nihil ferè profectum, quod promittat immortalitatem: cùm alioquin Gallia ſit vna totius*

Orbis Prouincia celeberrima, & ferax tot commodorum; sterilescere in hoc vno. Spiritus ad subitos jocos & facetias nati: extemporanea garrulitas, ad aliquam Forsan leporis imaginem; Mensas sectari, vagari per suas Academias, suam vernaculam sine fine concinnare & idiomate interpolato gloriari; hac et illac garriendi causa cursitare: non gaudere secreto otio, quod est vnicum coagulum studiorum. Sæuissimâ æmulatione decertare; vnde liuor deformis, & derisa improbitas. Ophiogenes & Psilli, qui venena tantum librorum sugunt.] Feminæ, secutæ Literatorum maledicentiam, in spondis, in circulis detrectare; euoluere curiosè regimen, insidiari dictis & factis Mazarini, studere eius indoli, & moribus viri magis magisque indubitare. Pars sui copiam facere, vt Aulæ arcanum quodlibet rimarentur. Incautis maritis affricare pestem. Hæc incunabula, hæc nutrimenta culpæ sparsæ per Prouincias; nam nostris exemplis Regnum instruitur.

Tunc quatuor, non quidem absurdæ ingenio, sed quæ plus moribus nocebant,

quàm ingenio proderant, omnem Galliam commiſerunt. [*Latè patens opprobrij deformitas ſeueritate emendanda fuit : & tantùm laudis grauiter punitæ attuliſſent, quantum ruboris, malè ſe gerendo, ciuitati incuſſerunt.*] Ipſæ poſteà, improſperis, vt fit, rebus, ſe prædamnantes, Numini fidem obligarunt, per Religionis mendacem ſimulationem, & fucoſã ſuperſtitione : effœtis vitijs januâ clauſâ; cùm, ſpeculo damnante, ſe putris ſenectus, præciſâ ejus ſententiâ, reformidat. Magna eſt Prouincia, non bello, ſed fugâ in peccata certare, neque regere cupiditates, ſed necare.

Senatus non Pariſienſis ſolùm, ſed Rothomagenſis, Burdigalenſis, ac Britannicus, & alij, etiam muſſitare. Attenti ad noua & turbida, populi exempla ſequi, vt mos eſt. Publicè, Mazarinum amouendum, per quem Pacis opus impediebatur. Gaudere virum vafrum bello, quò rapinas ſuas occultaret.

Principes tectius eum fouere; tamen eiuſmodi, per aſſeclas ſuos & emiſſarios; etiam vvlgare, nolle amotũ Mazarinum, ſed pauen-

tem, quò quidquid libitum à territo expiſcarentur. Non poſſe cōmodiore Miniſtro vti: Cavendum, ne pulſo Italo, in manus Galli audacis peruenirent, qui compeſceret iniquas petitiones, quarum nullus erat finis.

Mazarinus diſſimulare, & prudenti moderatione obſiſtere aſſultui: Cinerem paſſim ſpargere doloſum, per quem cæci & ignari rerum humanarum incedebant, vt exitus comprobauit. Non puto vnquam ſeceſſionem vllam, tanto apparatu & viribus fultam, ſic in fumos abijſſe; nec tantâ dexteritate diſcuſſam factionem. Tot viros primores, tot Principes, totius Regni Parlamenta, omnes vrbes primarias, exercituum magnam partem, non potuiſſe Peregrinum hominum ad incita redigere! [*Aut oportuit in viro artem regendi excelluiſſe, aut in his regnaſſe ſocordiam & ſegnitiem.*]

Non deerant qui hæc tumultuandi initia captarent ab Anglis; quorum res proſperæ, etſi à Rege ſuo deſciuiſſent. Rex Angliæ Carolus I. in triplici Inſulâ jura dabat per populos volentes. Non contentus ſtatu re-

rum

rum felici, in Sacris nonnulla nouare, quò Caluinismus exsuccus, indecorus, per speciosum cultum splendesceret. Ceremoniarum bracteâ inductâ. Scotia primò repugnat nouæ Liturgiæ, quam vergere in Catholicos ritus, (Papisticos illi vocant;) asserebat Anglicanum Parlamentum, eòdem, etiam ac Scoticum inclinare. Hæc prima elementa mali. Nihil certius, quàm nec Regi, nec Angliæ Primati Archiepiscopo Cantuariensi, vllum fuisse Catholicismi sensum, sed intactâ Doctrinâ, venerationem Ecclesiæ Anglicanæ circumdare; Cogitatum Forsan de solenni, vt nos loquimur, Sacrificio retinendo; amputatâ Missarum frequentiâ, quæ, vvlgi incuriâ, & illuvie Sacerdotum, dedecorat Religionem: præsertim è priuatis ædibus eliminandâ; cùm notetur clarè, quò crebriùs priuatim Missificatur, eò injustiorem & iracundiorem fieri dominum ædium, & deteriorem familiam. *Hæc fuerat mens Iacobi: & ante eum, viri celebres idem animo agitarunt, Erasmus, Cassander, Melancthon, & recentissimus de Do-*

minis, *Archiepiscopus Spalatinus.* [*Periculosum semper fuit, attingere sacra; vt qui in veteri Fœdere temerarij tactûs pœnas luunt. Nam quid refert, quomodò se habeat opus Religionis, dummodò populi per eam Numini, largitori omnium bonorum, supplicent; & supremis Potestatibus pareant?*] Sed ne ipse, contra præscriptum meum, inuoluam me sensim vortici: cymba mea leget litus: relicto Angliæ optimo Rege, vt sequens liber indicat, inter Essexios, Farfaxios, & tandem Cromvelios, in extremis laborante; & impetito, non solùm de cultu innouando, sed de Regni, sub eo prætextu, facie mutandâ; vt non minorem authoritatem, quàm Rex Galliæ, consequeretur: de quo, quantum possit, nefas est dubitare; Ille solus verè regnat.

Quàm malignum astrum Regna tunc passim afflabat! Vides eodem tempore fata Galliæ, vides Angliæ, Neapolis, Catalauniæ, & Lusitaniæ, quæ, ruptâ fide hactenùs Philippis seruatâ, instinctu, impetu, Brangantiæ Ducem in Regem elegit spretis Castellanis. *Quid, nisi fato Philippus II. in*

illud Regnum venerat, quod ita fundatum in copiâ Successorum videbatur, vt locus non esset aut rima vel improbæ spei. Ecce Emmanuel Lusitaniæ Rex, tres vxores duxerat: Primam Isabellam, maximam natu filiarum Ferdinandi & Isabellæ Hispaniarum Regum. Proles ex eâ Michaël; qui si vixisset, certus heres Hispanicæ quaquâ patet, potentiæ: obijt puer, & ipsa mater ejus à partione. Ergo alteram tunc Mariam, quæ tertia Ferdinando & Isabellæ erat, nuptijs sibi junxit. [Nam Ioanna, quæ erat secunda, Philippo Austriaco tradita fuit, è quo conjugio Hispaniarum nunc Reges.] Ex istâ Emmanuel numerosam sanè prolem gignit, sex masculos, duas filias. Denique è tertijs etiam nuptijs, quas cum Leonorâ, Philippi Austriaci & Ioannæ filia, coïuit, duos liberos, filium, filiamque. Hæc fundata Domus in tot fulcris. Iam ad liberos istorum; quanta series? Viginti duo Philippum II. anteibant, ac successionem, & aduentitia hæc incrementa arcebant: Et tamen, quò Fata vocant! venit hic & successit, per Isabellam matrem, vxorem Caroli V. (quæ major natu filiarum Emmanuelis:) spreta Catharina, nata Edoardi Ducis Guimarantiæ, (qui sex-

tus ejusdem Emmanuelis filius,) & vxore Ioannis Bragantiæ Ducis. Sed ijsdem Fatis in contraria versis, ad veros Dominos Bragantinos redijt. [Nescio qua causâ occulta, præter apertas, hæc eueniant, vt cùm in alijs artibus vsu homines discant, in hac regendi ferè contrà; & Principes inclinent, raró decurrant ad metam æquabiliter. Ex omnium obsequijs contemptum sumunt. Grande etiam illud Imperij pondus aliquandiù recta ceruice sustineri vix potest semper. Lassantur, & se inflectunt, vbi nihil retinet, præter bonæ famæ studium, & ipsum honestum, ac presertim Religionem. Accedunt deprauatores, insitum Aulæ malum; & qui praue facta laudantes, magis istuc ducunt, vt fiat licentia de potestate. Sed causa etiam aliqua in subditis, qui refractarij & praui sunt, & erga optimos ingrati: Id Principes grauantur & indignantur, ac paulatim affectum abducunt; magis, cùm seditio, aut rebellio, aut insidię sunt: Tùm justè putant se opprimere & affligere. Plurium noxam omnes luunt. Nos beati, qui post tot irritamenta seueritatis, gladium, nisi in hostes, strictum non vidimus! Inde videtur publica Felicitas regimini admouisse

mouiſſe Mazarinum, qui tenello Regi talia inſpiravit: Nam quantam manſuetudinem experti eo vivo, quantam eo mortuo probamus ab optimo & juſtiſſimo Regum!]

Sed neque beneficia, neque clementia, mutabant animos. In dies acrior tempeſtas in Mazarinum deſæuiebat. Gaudebant magnates, ad petacitatem accincti; quibus conceſſa, non finis ſed gradus erat petitionis. Vir magni momenti, & tunc auribus Mazarini acceptus, author illi fuit, vt validis clientelis & affinitatibus ſe muniret: Ideò ſperni, quòd pedem certum in Galliâ non figeret: videri de reditu in Patriam, re opimâ, cogitare: hæc & ſimilia ſpargi; Romam vim pecuniæ auehi; ibi domum emiſſe & ornare; rerum oblitum noſtrarum; Venetijs & Genuæ theſauros habere, vndefœnus illi exercebatur. Paruit Mazarinus conſilio, vt videbatur, ſalubri; vt exitus comprobauit, luctuoſo.

Ergo de Nepote Mancino, per matrimonium jungendo, filiæ vnicæ Alezij Comitis, Condæi contobrinæ primo cogitauit. [Quan-

tum animorum putabat in Condæo, cujus affinitatem, remedium malorum existimabat! Reuerâ stetit per Condæum, quominùs Condæus rerum in Galliâ potiretur. Compertum mihi est, Summam Mazarinei voti fuisse, vt illi tanquam domino subserviret.] Mens Principis, in hac parte læua, oblata respuit; plus gloriæ adepturi, vt credidit, per se, quàm si ab odioso ministro pendere videretur. (Non hîc solùm, sed vbique, magnas opportunitates corrupit, & Fortunæ successus amplissimos, nullo consilio æquiparauit.) Condæus spernere visus est tale connubium, quod per me Mazarinus petebat. Longauillanus, de totâ re certior factus, vt erat auidus occasionum, sponte se ingerit; operam efficacem pollicitus, non sine præmio. Putabat enim qui nullâ re, nisi quiete, indigebat, sibi indecorum, turbido tempore nihil lucrari, & ad ignem accensum, non calescere: Ac cùm seriò moneretur, vt tempestate malâ bonus esse auderet, nunquam potuit adduci, vt exueret illam mentem nundinandi. [*Cùm*

nullius ingenij species tam lubrico vestigio in vana & inania propendeat, quæ non facilè prudentiæ habenis intra rectum flecti possit; soli nostri Principes, non capaces nisi subornatę monitionis, contranituntur.]

Havræam igitur arcem, mercedem Mancinei conjugij petijt Longavillanus, præter fas & jura; Cùm eo solo nomine, quòd præesset Normaniæ, excludi deberet à tali Præfecturâ, frænando Rectori constructâ. Cardinalis mihi, petenti Havram, respondit, non esse sui juris; & mirari se, quòd Longavillæus, rebus Regni sic stantibus, hoc intempestivè flagitaret, Aureliano & Condæo detestatum, vt Regis commodis aduersum. Regerit Longavillæus, nolle in suos vsus Munimentum, sed vt asylum esset periclitanti Regi, & ipsi Mazarino, breui cogendo, Lutetiâ relictâ, in Neustriam confugere; quæ, nisi frenante Havræa arce, aperta erat seditioni. *Benè, inquit, Mazarinus; abi nuncius Duci, me daturum operam vt illi abunde satisfiat.* Hoc retuli ad verbum. Ergo, inquit Longavillæus, *Havram habitu-*

rus ſum. Non hæc, inquio, dixit Mazarinus: *ſed tu adi, ſodes, mortalem, & expiſcare omnia. Non acturus ſum* reſpondet Longavillæus; *placet promiſſi ambiguitas.* Interim jactat promiſſam ſibi Havram; Hoc negat Mazarinus; Longavillæus aſſerit. Teſtis advocor, præſente Aureliano & Condæo; id quod rei erat, fideliter refero. Vterque ab Aureliano damnatur, Longavillæus, quòd nimis ſtrictè, laxa verba interpretaretur; Mazarinus, quòd ſuſpenſis verbis, quorum illi copia ſine fine, Longavillæum lactaſſet ſpe inani. Diſſidium movit, injuria ſpretæ affinitatis, & hæc altercatio; vnde poſteà faſtidium, odium, & tandem carcer, ac innumera mala, de quibus proximo Libro dicturus ſum.

Sequuntur Motus Ciuiles, quorum cauſæ eò acriores, quia iniquæ. Gens armis ſtrenua, indomitæ intra ſe molis, ſola in exitium ſui potens; felix, ſi ſpes, vt ſubitas, ita longas ferret, non interturbante inconſultâ laxâque in res nouas inclinatione, non poterat diutius in vado felicitatis quieſcere.

Illud

Illud addendum ; exhauſtas luxu familias, nomina facta, rem fidemque conſumptam, patrimonij ruinas, nec ſterili dignitate, nec extortis ab Aula beneficijs, reparatas; domeſtici belli efficacem fuiſſe incentivam.

LIBRI SECVNDI FINIS.

72

BENIAMINI PRIOLI
DE REBVS GALLICIS,
HISTORIARVM LIBER TERTIVS.

Quid pacem excusserit, labenti in clades Gallię; quid in arma impulerit furentem populum; qui casus sequuti per illam noctem calamitatum; à prima mali labe, ad pacificationem, apud San-Germanum, frustrà conuentam.

STRVEBAT jam Fortuna in diuersâ parte Regni, sed præsertim in Vrbe, initia causasque Ciuilium Motuum; qui variè orti, hostibus læti, Principibus nostris, & eorum studiosis, prosperi,

Regi pœnè exitio fuêre. Miserandum sui spectaculum Gallia præbebat. Hîc Mazarinus contra sævitiam Fati assurgens, omni spe suâ periclitatus est: ac totam vim Imperij animo complexus, jus tenelli insontisque Regis, persequutus, quinquennij spatio, ferocissimis domitis, cuncta discordijs civilibus fessa, sub pacatam potestatem accepit. Laborabit Analium fides, vt posteris suadeat, toto illo tempore, nullo grandi sanguine publicam quietem firmatam: verecundiâ peccandi, solâ lenitate, factâ. Plenus erit hîc Liber cum quinque sequentibus, varijs casibus, atrox prœlijs, seditionibus discors: passim occurrent delationes, adulationes: nihil sincerum, nihil simplex; sed neque apud amicos tuta fides.

Annus agebatur post mille sexcentos quadragesimus & octavus, quem gravem Rebus Gallicis, Mathematici edixerant [seu vanum est, quod pronunciant, & intrà nostram credulitatem, futura invadere; seu error non rectè Fatorum magnitudinem interpretantium: certè pars cœlestium minarum fuit, multa terrâ cœloque prodigia.]

Gallia

Gallia ſucceſſibus ſuis læta in ſe oculos mirantis Orbis converterat. Quò proſperiori curſu ſeſe res noſtræ attollebant, eò maturiùs acceleranda conſilia Motûs Civilis malè animati exiſtimarunt; vt in re ſimili fieri amat, bonum publicum obtendentes. *Gravamina populi immenſa; Prouincias ab Exactoribus expilari, vrbem ipſam ſub tributorum pondere ingemere : Ærarium exhauſtum; gaZam Gallicam, ſtupente Ibero, in Italiam transferri.*

Præerat Ærario Michaël Particellus, gente Lucenſis, Emerius nuncupatus. [Vir ſolers, ac vectigalium tributorumque imprimis gnarus ; ſub voluptatis imperio captivis moribus ; deliciarum conſuetudo ; corporis blandiens cura; pietatis quaſi ſuperfluæ rei oblivio : deſtituebat animi impetum corpus, quod ante diem accerſitâ per libidines morte, peſſumdatum eſt.] Publica tempeſtas ei incubuit. Non Emerius, ſed in eo cauſa Motûs petebatur. Haud abnuerim virum callidum, in Mazarinum publicum malum derivaſſe, vt ſeſe imminentibus periculis eriperet : illius prudentiam &

ingenium laudibus efferre; rerum Gallicarum vſum deeſſe, quod dolendum. Peſſimum genus, ſic laudantes. Cenſuit hîc Particellus abolendam Pauletam, ideſt jus, quod penes Senatores, muneris in familijs retinendi, certâ pecuniæ ſummâ quam annuatim quiſque perſolvat Regi. Pauletus ſub Henrico IV. authot fuit ejuſmodi commenti. Ante Franciſcum I. Munera publica, non venalia, pretia virtutis erant.] Illo jure abolito, Senatum frænari, & in officio contineri Emerius exiſtimavit. At ſatis ſuperque hæc minatus, auidum novitatis Senatum commovit, & in ſe concitavit. Hinc querelæ, probra, convicia; & per Emerij latus, Mazarinum peti.

Obortum eſt aliud, non minùs quieti publicæ exitioſum malum. Supplicum Libellorum Magiſtri, viri ſelecti, poſtquàm Munus Senatorium aliquandiù exercuerunt, hoc non mediocri pecuniâ ſibi emunt. Hinc illis datur aditus ad Legationes, & apud exercitus & provincias jus tribuendi: Invigilant exactioni tributorum, omnia ad Conſilium

Regis referentes. Emerio propoſitum, eorum numerum augere, corradendæ ſcilicet pecuniæ. Conturbati Magiſtri Libellorum in grauiſſimas iras exarsêre : (tantùm valet in animis mortalium ratio privati emolumenti !) Conqueruntur vehementer apud Mazarinum, quem jam per obliquum arrodebant. Nam Magnates & Primores in Senatu hoc agebant, vt culpa omnis in eum transferretur, malo pravoque animo ; quò ſcilicet hominem non quidem eliminarent, (quod vix vlli cogitatum,) ſed vt adigerent ad ſua commoda, & cupiditatibus ſuis redderent obnoxium. Non nego fuiſſe, qui eum vellent amotum, vitio gentis humanæ, quæ optimum illud ſemper judicat, quo caret.

Erat Petrus Brouſſellius, Senator Pariſienſis, ſimpliciſſimis moribus, facili aditu; cultor juſtitiæ, æqui ſervantiſſimus, purus ſceleris, ſed alieno impulſu mobilis : Ideò viſus opportunus qui Cymbalum fieret publicæ famæ. Fouentur magis, magiſque ſemina Civilis motûs. Supplicum Libellorum

Magiſtri Scriptum evulgant authoritati Regiæ injurioſum : vniuntur Senatui, & contra mandata Regia in vnum conveniunt; De Regno peſſimè adminiſtrato ediſſerunt; *Pecuniam publicam in priuatorum vſus malè impendi; inde nullum Ærarium, Rempublicam nullam; imponi onera populo, indocili tale jugum diutiùs ferre; Actum eſſe de Jmperio Gallio : deligendum qui feſſis rebus ſuccurreret. Quod ſi cui, Regis patrimonium anguſtius videatur, non è ciuium direptione, ſed è parcimoniâ domeſticâ, quod deeſt, ſupplendum. Sumptuum cuique modum, non ad cupiditates, quæ infinitæ ſunt, ſed ad censûs menſuram, componendum. Falſam eſſe querelam, Regias opes ſumptibus impares eſſe; quippe quibus tot ſuperiores Reges, bello clari & formidabiles hoſtibus, in pace ac bello, honeſtè & ſplendidè vixerunt.* Quò acriùs prohibiti cœtus, eò crebriûs celebrati. Blammenius, Chartonus, & Brouſſelius, audacter præ cæteris loquuntur. *Rege impubere, Senatui, curam Regni incumbere; futurum, quod olim contigit, vt Rex ſui juris & potens rerum rationem à Senatu exigat rei Gallicæ malè geſtæ. Igitur proui-*

dendum; vt rebus malis inueniantur qui audeant boni esse: tales fore qui publicæ calamitatis miserebuntur, & imminentia præuidebunt. Turpe nomini Gallico, & probrosum apud Europæ populos, neminem in Regno tam inclyto reperiri, qui dignus sit eligi moderando clauo & habenis temperandis; opus nobis esse peregrino Ingenio. Durum, durum, exclamant, ô Ciues; & si qua paterni sanguinis vena in nobis viueret, non ferendum; Mulierem Hispanam, Aduenam, siue Romanum siue Siculum, illudere nostris Regnis: Tantam esse in Principibus ignauiam, vt nullus hiscere audeat, dummodò promissis oneretur: Interim Rempublicam laborare, nullum se inserere fortunæ Regni, vnumquemque sibi tantùm consulere. Multa & præclara, inquiunt minantur; mox objectâ offâ quiescunt, & indormiunt publicis malis. Quid nobis cum Italis Citharœdis, cum Histrionibus, & Comœdis? satis superque mores Galliæ corruptos; non egere peregrinis culpis. Pecuniam auehunt, inuehunt vitia. Ad quid tot Machinas & Automata, repræsentandis incestis amoribus; quorum argumenta, majore ex parte, stuprorum continent actus? Talia spectandi consuetudo, etiam

imitandi licentiam ſumit. Nihil ex illo noſtra Iuuentus, quàm ignota vocabula libidinum, & deformes hauſit obſcœnitates. Abolitos paulatim patrios mores, funditùs euerti per accitam laſciviam; vt quod vſquam corrumpi & corrumpere queat, in Vrbe viſatur; degeneretque ſtudijs externis Iuuentus, otia exercendo. Non ſolùm licentiam, ſed vim quaſi adhiberi: Nam notati, qui Comœdijs non adfuiſſent. An egregium judicandi munus exſecuturos, ſi fractos ſonos & dulcedinem vocum audiſſent? Noctes quoque dedecori adjectas: ne quod tempus pudori relinquatur; ſed cœtu promiſcuo, quod perditiſſimus quiſque die concupiuerit, per tenebras audeat. MaZarinum quidem inculpatis forſan moribus, & grandi ingenio ſolertem: ſed per ejus indulgentiam, Ædes Regias, ſtrepere Jtalis; Plateas nihil aliud ſonare, quàm inconditos eorum gannitus, quibus aures noſtræ aſperantur. Ludicris pecuniam impendi, dum Viri magni anguſtijs rei familiaris laborant: vbi illi rerum olim apud nos potentes, qui egenis opitulabantur, qui Eccleſiæ reditus non ſui juris eſſe, ſed virtutis æſtimabant. Quid turpius, quàm in cubiculo anteriori jacere nullo diſcrimine Viros

insignes; noctem ac diem juxta gratiam aut fastus Ianitorum perpeti; & redire, non visu dignatos: ac malè alacres Rhedam scandere, ne seruus improbè loquax infaustè tentatæ salutationis grauem exitum publicaret? Biragam Mediolanensem, olim rebus quidem nostris admotum; sed virum integri moris, indoctum quidem & bonarum artium rudem, personam tantum egisse Cancellarij, nihil vltrà. Et hoc scilicet, Insubribus pelliciendis ad juga nostra ferenda. Ancoranum Consilijs nostris nunquam præfuisse; sed ob feruentem Reginæ gratiam, quâ pollebat, toleratum: quod diutiùs præstitum, nisi, & sui & nostri oblitus, in se cuncta vertisset; & simul posteros docuisset, sibi præcauere à fallacibus Gallorum obsequijs. Res nunc dispari famâ apud orbem terrarum: nos subijsse peregrinum iugum. Galliam vniuersam à Julio Mazarino pendere; sub eodem tecto cum Rege diuersari; Primum Ministrum, vocabulo nobis nouo, indigetari: eo obtentu, de Bello, de Pace, de Ærario, de Dignitatibus Ecclesiasticis & reditibus, de Munijs Regni primarijs, tanquam de suo, agere, nemine aduersante. Regem ac Reginam nisi per eum non adiri. Sed,

quod probrosius, Italos Ministros tam superbe se gerere, & nullus cordatus eorum possit pati fastidia.

Hæc dicta, & multa alia atrociora; quæ quia in vvlgus sparsa, scribere hîc superse-deo. Tandem eò res recidit, vt cùm invi-to Rege cœtus prohibiti solito more con-gregarentur, & motus in dies crescerent, placitum fuerit nautarum solertiam imitari, qui obortâ tempestate, exonerant navigium, exitiosum pondus pelago donantes. Sic vi-sum opportunum, Emerium ablegare, exem-plo nimiùm periculoso. Non finis inde pe-tulantiæ, sed gradus. Improbarat hoc Ma-zarinus; sed coactus cedere, insidiosa con-silia præbentibus, agrè consensit. Ille om-nia scire, non omnia exsequi: temporis opportunitatem, quâ nullus mortalium sa-pientiùs vsus est, præstolari: tranquillâ po-testate peragere, quod alij violentâ suade-bant. Promissis largus, quibus non paucos demulsit, quosdam ex insanis insaniores reddidit; dum populo referunt, Se mune-ribus tantari, quò deferant sub immani pondere oppressum regnum, sed potiùs vi-tam

tam quàm fidem amiſſuros. Plebs inſoleſcit magis magiſqne. Scinditur Vrbs in partes. Mazarinei nuncupati, qui Regi addicti: qui fallaci ſtrepitu bonum publicum tueri videbantur, Funditores. [Inolevit id moris ab omni æuo, vt qui ad res novas ſe accingunt, nomine novo ſe inſigniant.] Funditores dicti, quòd, inſtar Dauidis, Giganteam Mazarini magnitudinem proſternere decretum. Interim non ſedari tumultus, ſed invaleſcere; quoniam Magnates dolosè metus Aulæ rimati, conſilia omnia ad ſeditioſos referebant. Nuſquam fides tuta. In quo præſertim virtus Mazarini emicuit & ſupergreſſa eſt, quòd proditus ab intimis, ſuâ ſolertiâ & vi animi tantam diſcuſſerit rerum caliginem. Moroſâ deliberationum trutinâ in Conſilio Regis perpenſum, quid facto opus? aut cedere tempori, & ingruenti tempeſtati; aut coërcere ſeditionem terrifico exemplo. Vtrumque periculoſum. Mazarinus, obliquanda vela in ſinum: ineſſe tempori Medicinam rerum: Paruas moras habere magna commoda: So-

cietates, ſic initas intervallo debellari: Non parcendum ſumptibus, dummodò improbi ſegregentur à bonis: ſingulares facilè opprimi poſſe: Non obnitendum exundationi, ſed in rivulos minuendam; domitu ſic facilem. Hæc & talia diſſerebat Mazarinus. Regina, nondum experta, in arduis Viri ſolertiam, diffidebat conſilijs; quæ paſſim improbata, tandem ſalubria ceſsêre.

Chauignius, ſpiritus Richelij plenus, audax ſucceſſibus, (impellente ipsâ indole, ſed maximè imbutus ſæuitiæ ſacramento,) fremebat; alterutrum reputans valiturum: aut violenta, quæ ſuadebat, profutura; aut irritis & in pejus cedentibus conſilijs, Mazarinum ruiturum, quod maximè optabat, in præceps. *Quò vſque,* inquit, *Reginarum optima, degenerem togam & Regnum Senatûs patiêre? Ludouici Manes, & Richelij nominis vmbra, vbi eſtis? Quid opus tot colloquijs, quibus creſcit audacia? Patibula erigenda, & à ſordentibus Lilijs Turbones auellendi: per carnifices frangendæ fauces. Ante omnia huc vocandus Brouſſelius, qui non ampliùs Senatorem, ſed ob-*

trectatorem Regis agit : censeat, quid corrigi aut mutari velit : faciliùs perferendus singula increpans, quàm omnia damnans. Pacatum sine motu per quinquennium Regnum, an victorias sine damno exercituum, illi displicere? Ægro eum oportet esse animo, qui incitamenta ingenijs allatura, improbat. Num-cuiquam Iudici graue, aures studijs honestis & voluptatibus concessis impartire. Lætitiæ, non lasciuiæ, noctes paucas dari; quibus, tantâ luce ignium, nihil illicitum occultari queat. Sanè nullo insigni dehonestamento spectacula Mazarini transisse. Gallias nostras, olim barbaras, sic paulatim masuescere. Richelium, splendorem ædium induxisse : Mazarinum, cum illo fulgore, etiam insuper, blandos mores & comitatem intulisse; vt Roma olim Græcanicis illustrata est. De difficili aditu, quid mirum apud Gallos, qui Regem obvium officijs lædunt; qui, nisi illâ seueritate arcerentur, inuolarent importunè per omnes rimas, nullo ostio submouente? quæ pars temporis negotijs relinquenda, si molles singulis horis ad Ministrum accessus? Hæc & ejusmodi disserüit Chauignius : quibus tamen nullus datus assensus. Sed decretum Broussellio, Chartono & Blam-

menio imponere discedendi necessitatem: atque hoc non indecorè; scilicet rhedis invectos in propinqua Vrbis deducere. Captandam occasionem celebritatis ob Lentiacam victoriam: id commodè fieri posse, illo die, quo nullâ plebi suspicione injectâ, regiæ cohortes starent per plateas dispositæ, ad cultum Regis, qui Fanum Diuæ Virginis adibat, Numini adorando, per gratiarum actionem.

Rebus ita ordinatis, circa meridiem, Prætorianis in statione compositis; Comingius Reginæ custodiæ Præfectus, intrat Broussellij exiguas ædes. Assidebat Senex, cum prole, mensæ frugi: intentus audit monentem nomine Regio; vt properè rhedam præstolantem inscendat. Paret non submissus in humilitatem tanquam reus, sed modestâ gravitate compositus, vt Senator; & obversus ad liberos; *Spectate, inquit, & firmate animos constanti hoc exemplo: retinete viam, quam calcaui. Nec mihi, in diuersa præcipites, adimite vnicum solatium: nec vestra pericula cum sorte meâ miscete. Gloriam vobis circumdedi: videte vt*

pares ſitis tuendæ. Tempus erit cùm Gallia omnis Brouſſelij meminerit. Hæc pauca Brouſſelius, qui rhedæ ſeſe ſine vllo pauoris ſigno impoſuit. Servulus, dum forte fortuna domum redit, incidit in Dominum abreptum : vociferatur plenus lacrymarum, inſequitur rhedam : Dominum abripi, quibus notus ; Brouſſelium captum ; quibus ignotus, exclamat. Nunquam ſeditio tam diro omine infremuit, nunquam atrociùs vulgus ſæuijt. Quadrantis horæ ſpatio centum millia civium armauit fletus puerilis. [Heu mortalia ! mortales, quid ſumus ? Scena rerum, vana imago. Quantis ſucceſſibus Gallica gloria ſeſe efferebat ? quàm auguſta temporis ſpecies ? quot decora rerum, domi militiæque ? Ad quid hi motus animorum, & tanta diſſidia ? Non ſe fert ingens felicitas, magnitudine ſuâ laborat. Sic viſum ſuperis, cùm propoſitum vertere ſtatus, & Imperia, erroribus humanis cauſas addere legitimas.] Chartonus præſagus, fugâ ſibi conſuluit. Blammenius, nullo rumore, Vincennas deductus eſt.

Solus Brouſſelius ingeminatur. *Palàm ſpargebatur; Viros optimos, ob defenſa jura, die læto, tranquillo tempore, abripi. Fedari tempus publicæ lætitiæ deſtinatum, corrumpi gaudia civium, ſerenum Vrbis violari : affectatione lætitiæ in triſtitiam versâ, re indictâ, nullo judicio publico; Rege, nullo Principum, paucis tantùm Prætorianis, comitato : accenſo Senatu, accensâ plebe, recentibus odijs.* Omnes Aulicos proditionis argui. Peſſimus quiſque in occaſionem prædæ, motûs noui cupidus. Obſequia meliorum tumultus abſtulerat : reſiſtentes ſeditioni, lapidibus peti; delapidari plateas, tecta detegulari, ſaxa volare, furore arma miniſtrante; Manere, an deprehendi, an fugere & diſpergi periculoſius foret, incertum. Modò conſtantiam ſimulari, modò formidine detegi : vtque evenit, motis ad ſeditionem animis, timere, & timeri. Paſſim Magnates, projectis inſignibus, vitatâ ſervorum frequentiâ, diuerſa Vrbis itinera petere : rari domum ſuam, plurimi amicorum tecta, & incerta latibula. Multi per varios caſus elapſi; quidam ſervili habitu : alij fide

clientum defensi. Non pauci pro audaciâ latebram habuêre. Meilleræus, Galliæ Polemarchus, strenuè per Vrbem inter omnes maximè insignis. Vndique arma & minæ, obstructis per cados, & catenas ferreas plateis: modò in Proceres, quis crederet? modò in Senatum, lymphatis cæco furore animis: Et quia neminem vnum destinare iræ poterant, licentiam in omnes exercebant. Vix plebis impetus, foribus Palatij Regij coërcitus, quominùs irrumperet. Ostendi sibi Brousselium expostulant; Brousselij velle vvltum & ora tueri. Miseranda Vrbis species. Quisque furit, nullo Duce: sibi quisque author, quæ jussa vetare, quæ vetita jubere. Mox, quod in perditis rebus accidit, omnes præcipere, neminem exsequi. Prætorianus miles non linguâ, non animo, non auribus competere. Obsessis in Palatio, & obsessoribus, dispar pauor. Pertinacibus armis, (quod Iberus non ausurus,) minitari cives. Obruebantur animi bonorum, miseratione curâque: sed, quod contingere semper solet, in tantâ trepidatione, consi-

lium ab omnibus datum eſt, periculum pauci ſumpsêre.

Noctem minacem, & in ſcelus erupturam, cura Mazarini leniuit. Luſtrare intrepidus cuncta, non habitu ſorti idonus, ſed per aſcititiam comam, oris decore diſſimulato. Varia hinc & inde loca ſtationibus militum firmare: hoc monito, ne terrerent nec terrerentur; attenti ad imminentia, coërcerent impetum, non provocarent.

Orto die Petrus Seguierius, Galliæ Cancellarius, ad Senatum delegatur, Mandata Regia perferens, an, quid mentis illi, exploraturus. Non per officium aut cultum obvia plebes; ſed deformis minis, ac vvltu contumaciæ, quàm pœnitentiæ propior. Procedebat Cancellarius compoſito ad lenitatem ore, paſſim ſilentium manu poſcens. Illa vocibus truculenta ſtrepere, globi nebulõnum circumvenire rhedam: modò murmur incertum, modò atrox clamor: diverſis animorum motibus, circumſiſtunt, rogitantes, quò pergeret; an vt quoque populi commodis adverſaretur, ſuo more? Simul

mul ingruunt, minantur eruta pauimenta. Iamque accurſu multitudinis obruebatur, niſi occurſu Luineæ Domûs protectus eſſet: quæ illi vt erat natalis, pœnè fuit mater & ſepulcrum. Illic, latibulo vim plebis, ædes ſtrepitu ac minis implentis, non ſine Deo, euaſit, errante ſcrutatore. Quanto periculo, hinc diſcas, quòd non ampliùs de vitâ, ſed de mortis decore cogitabat. Sic locus nobilitatus, quod omni luce dignum ſuis tenebris celavit; Fortunâ eximiè fauente, quæ paſſa ſit, ſpem legum peſſimis moribus oppreſſarum, in tuto deliteſcere. His auditis in Palatio, Regina anxia, ne in ſordidorum hominum poteſtatem ſummi Viri fata pervenirent. Meilleræus equo provectus, cum Dortio, cohortem ſeditioſam perrumpit; Cancellarium imminenti periculo ereptum, deducit incolumem ad Reginam, Rhedâ ſemilacerâ, territo ſatellitio, nonnullis trucidatis. Incrudeſcit ſeditio: ſævit animis ferociùs inſanum vvlgus.

F. Paulus Gondius, Archiepiſcopus Pariſienſis deſignatus, [Coadjutorem vvlgò vo-

cant,] Sacerdotij infulis decoratus, dignationem præ ſe ferens, per plateas conſpicuus, voce & geſtu plebem demulcebat: acturum ſe de poſtulatis; Regem neque gratiæ, neque ſeveritatis expertem. Non defuêre, qui non alienum Gondium à novatione arguerint. Vt-vt ſit, ille dies primus ſeceſſionis Gondiacæ, & cauſa malorum fuit, quibus poſtea Præſul inſignis animo, ſanguine & meritis oppreſſus ſuccubuit; Corinthius poſteà ſemper dicetur.

Tandem Senatus ſelectiſſimam ſui partem ad Regem dimiſit, libertatem Collegarum rogaturam. Bini longo ordine, pede viam carpentes incedebant, plebi nutu blandientes. Princeps Senatûs Molæus, (cui dexter modus rerum gerendarum nunquam defuit,) Reginam liberè & graviter allocutus eſt. *Noxia fuiſſe conſilia, Viros bonos publicæ ſalutis amantes, causâ publicâ defensâ in crimen eualeſcente, auellere à Senatu, auſpicatiſſimo die, demptâ per publicum gaudium ſuſpicione. Nihil perniciosius, nec nomine Gallico magis indignum, vi tractare, quæ mora & lenitate ſemper apud nos ſucceſsêre proſpera. Qui talia ſua-*

sêre, eoſdem tumultus concitaſſe, & pergere in dies. Hîc non opus longa deliberatione, ſed captos liberandos: neque dignitatem aut authoritatem Regiam prætexendam; ſalutem Regni ſupremam legem eſſe. Non hæc, quæ eloquitur, figmenta aut preſtigias: centum millia armatorum preſtolari Brouſſelium: arma tenentibus omnia dari, cùm negantur iuſta. De fide, obſequio, reuerentia actum eſſe: hæc omnia pedibus conculcata. Horreſcere ſe referentem, quę miſerrima viderit. Regina ad hæc, pauca reſpondit; Cancellarius, paulò fuſiùs. *Conſilium Regium prouiſurum, vt eorum poſtulatis abundè ſatisfiat, &c.* Redeuntibus eodem ordine, modoque, occurrit plebes, ſciſcitatura quid peractum. Cùm Molæus capite, omnia benè habere, annuiſſet proſilijt vnus cerebroſus, qui gladio pectori admoto, retrocedere juſſit. *Siccine liberatum Brouſſelium? ſiccine noſtra deſideria fruſtrari! ſiccine redire, nulla benefaciendi licentia?* Senatorum nonnulli dilapſi metu: Molæus imperterritus cum cæteris, ædes Regias repetit; feruidè inſtans, aut jamjam captos liberandos, aut omnia danda in caſum.

In tantâ trepidatione, Regina, convocato Consilio, quærit, quid remedij afflictis rebus? Magnis vtrinque sententijs jactatur; periculosam serveritatem, flagitiosam clementiam; seu nihil plebi, seu omnia concederentur. Volutatis inter se rationibus; placitum liberare, cum Blammenio, Broussèlium, tunc delicium plebis, & vanum libertatis simulacrum. Senatu (quod inauditum,) in Xysto Regij Palatij congregato, ac sententiam dicente, literæ revocando Broussèlio & Blammenio exarantur, & sine morâ, rhedæ Regiæ præbentur, illis adducendis. Tantùm valet in arduis ratio publicæ salutis! [Mazarinus, qui fortiter malè inchoatis obstiterat, fortiùs pessimè cedentibns reluctatus est. Quid faceret in proclivi statu? Cautus omnia perpendit, intentus in futura. Decus Regium tuetur, quantùm culpa temporum, & improspera rerum patiuntur.] Seditio tantillùm quievit. Stant in armis tamen, superbo ostentu; subesse fraudem obmurmurantes. (Quàm malè est extra fas & jura viventibus! quod

ſemel meruère, ſemper exſpectant.)]

Eâ veſperâ reverſus Blammenius: poſtridie ante meridiem Brouſſelius feſtis acclamationibus domum redit, progeniem lætam & dulces amicos reviſurus. Hinc vixit, vt anteà, inoffenſo tenore probitatis, moribus innoxius; refrigerato illo plebis ardore, vnus è multis: vir minimè malus, torrente factioſorum, in vada & ſyrtes per publicam tempeſtatem abreptus: [Poſteris documentum, quàm vanum & fallax, talibus inniti; quæ damnabuntur ſemper, & retinebuntur, potentes & infimos æternùm merſura.]

Puduit tanquam obſeſſum Regem, in vrbe conſidere. Mazarinus itaque providè Ruellium, ad tertium lapidem, eum deducit, obtentu ſalubrioris auræ. Seditionis Authores fremere, nec concoquere Regem furori ſuo ereptum. Longè alia facies in promiſcuâ plebe: quippe, poſtquàm de auxiliorum adventu, quæ è Condæi caſtris educta, huc properabant, certâ fide relatum eſt; pleriſque terror inſaniam excuſſit. Quid in Regem eſſent auſi, tum demùm intue-

bantur. Subjiciebat paventibus ſolicitudo, adeſſe jam violatæ Majeſtatis vltores : Et conſternatio animi in omnibus, etiamque vulgaribus, dira omina inveniebat. Auxit hos metus mira Mazarini alacritas, cui maxima erat Regiarum virium fiducia.

Hîc ego cœpi primùm, rerum conſcius, varijs tractationibus admoveri : (ſed in Partes abreptus, multa feci ad quæ invitus oculos retorqueo.) Quò mihi major fides habenda, qui nihil niſi oculis & auribus exploratum, poſteritati imputaturus ſum ; nullâ libidine aſſentandi, nullo odio adversùs dominantes. Quicquid in occulto petratum eſt, quicquid aſcito fuco diſſimulatum, non quidem ignoratum, clariſſimâ in luce traducam. Spe & metu libera, futura Ætas rectè factis applaudet, & his diverſa exſibilabit.

Tantam aciem Factioſorum à pauciſſimis impelli, Fortunæ ludibrium fuit. Blammenius, & Violeus, agmen tunc ducebant. Manebat alto animo repoſta recentis carceris injuria : & ante omnia, Bellovacenſis

patrui grandis ille casus. Quid Violeo magis astruere Fortuna poterat? Aderant opes speciosæ, amplo munere in Senatu conspicuo, etsi Cancellarij Reginæ officium non adepto. Inquies animus, quæ pacatis rebus non speravit, turbatis assequi conatus est.

Primum facinus Ruelliani secessûs, carcer & exilium Chavignij fuit. Vincennis captus, in Havræam Arcem, per deuia itinerum, & loca inhospita, traductus est. Ibi acris custodia dormienti invigilabat. Durum, nullis curis aut laboribus exercito. Stanti in juventutis exordio, ea ornamenta contigerant, quæ multis celebrium virorum ad senectutem suffecerint. Namque per ferventem Richelij gratiam, ejus gloria inoffensos egerat cursus. Adversa pati indocilis, quia nullâ præteritæ humilitatis verecundiâ erubescebat. Sic desvetudine honoris semper habiti, obstupuit, primo Fortunæ vvlnere, qui in se alverat imperandi fortem securitatem. (Mazarino infensus, vertere conatur omnia, dum evertat.) Arripiunt Seditiosi novam occasionem quiri-

tandi. *Jura inania, & proculcatas in Chauignio leges: non posse nisi certo spatio, eoque brevissimo, detineri quemquam in carcere, non dictâ in Senatu causâ;* eiusmodi recentissime stabilita, & quæ sequuntur. *Peregrinos à Muneribus publicis, arcendos, Subleuandas Prouincias expilatas, & Lutetiam, nimio vectigalium ponderi, ingementem. Regem Vrbi principi reddendum.* Hæc præcipua capita, quæ & Ruellij, & ad Fanum Sancti Germani, variè agitata, inter Aulam & Senatum: modò Aureliani, modò Condæi in hanc vel illam partem inclinatis animis; occulto fine, & erupturo in majora dissidia.

Hîc incipiunt infesta omnia esse Mazarino; in quem apertè, tanquam in scopulum, vires frangit seditiosa tempestas. Aurelianus inter Aulam & Senatum medius se infert: sedare fluctus, & iis obortis lætari. Riveriani Abbatis, qui purpuræ Romanæ destinabatur, commodis, sic inservire creditus. Condæus redux, nuperâ victoriâ elatus, cum Senatu primò severè agere; mox blandiri potentioribus: nihil modicum sperare; Connestabilis saltem, aut Præfecti Maris

ris, dignitatem obtendere. Longavillæus incitabat affinem; Havræam arcem, Neustriæ celebre propugnaculum, impetrasse iactabundus. Etsi nihil tale promissum; gloriabatur tamen suo more; sic deficiendi captatâ occasione. Corinthius eò Longavillæum impellebat vanâ spe: quasi per Senatûs Decretum, Princeps sanguinis, vt vernaculè dicitur, esset pronunciandus. Et quia mens quod cupit, semper putat futurum; intra lætam credulitateminania eiusmodi animo fovebat. Anna Borbonia, Longavillæi coniux, momentum ingens Factionis erat. Trahebat secum Corinthium, Rezium Ducem, Contium fratrem, cum Rupifoucaldio, qui Fœminæ intimis tunc præerat. Mulier alti spiritûs, ingenio acri; quæ in mille figuras poterat vertere sibi addictos, non poterat iura propria animi vertere. Turbida gratuitò, ex motu nihil sperare, præter motum. Res publicas & privatas, sicut alii, prætexebat: armis coërcendam tyrannidem eorum, qui ad sæva consilia Regem agebant, & illi odiosos ac

formidolosos Principes reddebant.

Inter hæc Regina, semper porrectiori fronte, quàm res publicæ merebantur; videt se apertè per Mazarinum peti. Lætiùs ora fingit, in futura collecto animo: domat dolorem, nec cuiquam ad sui notitiam dat indicium. Vultum vincebat arcana magnitudo animi; inter simulationis & iusti mœroris certamen, gestu & verbis temperatis: secura semper, despectis Seditiosis. Mazarino notæ infidæ Principum sententiæ, consilia etiam ad Factiosos delata: Neque domi, quàm in castris, periculosiores insidiæ. Callidè omnia dissimulans, ad pacificationem animum adiecit. Etiamsi crederet, *atrocia illa primo impetu pertimescenda, cùm moram pati inceperunt, sua sponte cadere. Consenescente factione, propria impietate ruere; Satiatos inquietudine rerum nouarum, ad reverentiam Majestatis, semper redire; & extorqueri pœnitentiam ab ingratis.* His & similibus ventilatis, cùm videret fauere motibus Optimates; existimat non tutum, suspectarum manuum simulationem, in extreman perni-

ciem experiri : Paucos circa Regem, læuis auersisque animis, isthinc fauere ; illinc militaturos, tempore opportuno affulgente. Improbata hæc Mazarini mens quibusdam cordatis. *Tenelli Regis calamitatem omnibus gentibus abominandum exemplum esse ; quæ quietæ nunquam erunt, si irasci liceat electioni Ministrorum, aut eorum insidiari probitati : Instandum igitur perculsis : fortiùs semper bonos pro Rege, quàm alios pro scelere pugnaturos.* Mazarinus, propositi tenax ; Regem deducendum in vrbem, & postulatis indulgendum. Scilicet timeri poterant graviora, si decipi abnuisset.

Hîc describere conditiones per vvlgus sparsas, vanum. Summa earum, vt jam dixi, huc recidit. *Multa tributa minuenda, intra & extra vrbem. Prouincias subleuandas illis, Supplicum Libellorum Magistris. Nullum posse in carcere detineri, nisi per diem naturalem, non dictâ in Senatu causâ :* quod acriter disputatum, etiam Aulæ asseclis approbatum; vnoquoque rem suam agi arbitrante. Chavignius liberatus, apud Turonenses secessit. Inania Aulæ tanquam à celsâ mentis arce

despectans, studijs Sapientiæ animum addixit: cujus consilij quandiu firmùs, sequentia docebunt.

Francisca Lotharinga, Vandomij conjux, pro marito & liberis malè habitis, Libellum Supplicem obtulit; quem Patres, alterius loci & temporis censuerunt. Sic deferbuit primus æstus Parisiensis. Nunc ad futura, multò atrociora, me accingo.

His ita compositis, cadente Octobri, Rex Lutetiam redit. Neutiquàm perculsa Factio timore aut fastidio culpæ, inquietos mores dediscit: sed viribus adultis, patientiâ Regis, & rebus impetratis, quasi legitima, struit sibi gradum ad majora. Senatus non satis placidus, novis cogitationibus fervebat. Desævit in Mazarinum invidiosa calamitas; qui tam suspecto tempore, ad omnia solicitus, tristiora certiùs exspectabat. Palàm proclamatur; *Securim radici admouendam, Regno pellendum Aduenam:* tanquam vnica illa spes foret rebus afflictis. Reverentia in horas minuitur: quisque monere audebat, quisque præcipere. Pœnè tumul-

tus ignarorum non minore diſcrimine creſcebat, quàm vvlgi furor. Ex vvltu Aulicorum admonebatur periculum.

Violeus, ſui fiduciâ plenus, in Senatu hæc audacter effatus eſt. *Nihil ad Regnum MaZarino, niſi Diadema & Nomen, deeſſe. Hæc rudimenta futuræ poteſtatis. Fortiùs in dies, annos imbecilles cæci Pueri calcaturum. Quis Procerum, inquit, poterit obniti, poſt exhauſtum immenſæ ambitionis & auaritiæ curſum? Et reſpiciens Aurelianum & Condæum; Veſtra, inquit, res agitur.* Diſplicuit Condæo tantæ obtrectationis audacia. Chatillionius Violeum monuerat, talia grata futura Principi, qui Brouſſelium jam & Longueillium inviſerat, popularitate gratiam aucupabaturus; ſed Siue Condæi mens fuerit in ancipiti, ſiue mutatâ ſententiâ Majeſtatem Regiam tueri ſatius putarit: vt-vt ſit, iacta tunc in Mazarinum, toruùm excepit. *Fati, non MaZarini culpas eſſe: Illum omnia conferre ad ſalutem Regni; nec improbè exultare in tantâ fortunâ. Cur virtutem magni Aduenæ in tranſcurſu lucere Galliæ, inuidia ſit? Reginam ex præſcripto defuncti Regis il-*

lum adoptasse in curas : non sufficere incumbentibus ceruicem, nisi quæsiuerit vicariam hanc opem: nihil in illo, præter felicitatem, posse damnari: non præsidijs, non arcibus fundare suas vires: non libari ab eo Regiam gazam: Reginam honoribus ac muneribus fidem ejus non tam pensare, quàm solicitare in futurum. Non posse Regem sine flagitio eum inimicis relinquere, posse non periculosâ suis rebus sanctitate tueri. Mazarinus non semel se abiturum respondit, modò non insidijs, aut impetu vrgeretur : *nihil magis, post tot beneficia, quàm pacatum discessum desiderare.* Inter quosdam Primarios quæri cœptum, quâ tutissimè ratione emitteretur, quâ fraude abeuntis vvltus mutaretur, Fœmina illustris idoneas vestes primâ nocte delaturam se promisit. Sed hæc omnia ridicula: Nam de discessu nunquam cogitavit; neque opus fuit concinnare larvas, nec ascititiam formam aptare.

Regina, verita irritare temporum, hostium & fatorum crimen, suspensè agebat. Omnem quidem culpam à Mazarino amoliebatur; dubitare tantùm, an per indul-

gentiam in Magnates, apervisset injurijs despectam dignitatem. Constabat eum nullo errore aut vitio impulisse labentem in clades Galliam. Mazarinus per præsentium malorum crudam imaginem, solicitus semper de futuro, curabat vt diuturna esset Regni valetudo : & tot cicatricibus novis recrudescentibus, (deprehensâ vi Fortunæ,) solertiâ suâ confisus, de successu prospero per moram, lenitatem, & beneficia, nunquam dubitavit : Inter hæc, Funditores vrgent promissa ad Fanum Sancti Germani; quibus concessis, actum erat de Majestate. Anxiâ pensitatione libratum, quæ via invenienda, quâ se Aula eripiat ingruentibus novis fluctibus. Meilleræus, nullas nisi per nitrum gaudens vias habere, nec tam portas patentes intrare, quàm fregisse; author est, *vt Rege Bastiliæ & Armamentario insidente, Insulâ Palatij occupatâ, valida manus tormentis grassetur, pedetemtim præcipua loca inuadens*; cui conatui operam Strenuam pollicetur. Michaël Tellerius, non semel memorandus, *vrbe exeundum, & Gonessiano pani meatus præcluden-*

los : illo ablato, plebem exarſuram in Factionis Capita; ventri, non illis obſequium præſtituram: jejunum populum, mactatâ hoſtiâ, leniorem. Condæus, tali rerum cardine, animos & fidem Regi approbaturus, cenſet *obſidendam vrbem, & vi atterendos Rebelles.* Mazarino primùm improbata hæc omnia, tanquam periculoſæ aleæ plena; *multa poſſe ſuccedere immedicabilia: Horrea plena Luteriæ, etiam priuatorum: immerentes culpa improborum caſuros.* Non carebat tamen conſilium obſidij, ſpecie ſucceſsûs.

Longavillæa, mœrore violenta, & neſcia tolerandi, ob Condæum à partibus ſuis avulſum: Contium fratrem, (rudem fraudum, nec mente ad ſcelera obductâ,) Maritum, Corinthium cum Aſſeclis, & nuper reducem Rupifoucaldium, ſibi aſciſcit. [Præcipua huic vltimo fides: Amicitiæ Genius vtrumque afflaverat, in Palatinæ domo: quæ eidem navi ſe commiſerat.] Beaufortius, Elbovius, & innumeri ceſſerunt in partes. Funditorum turba ingens, tum in Senatu, tum per primarias Vrbis familias. Hæc omnia poſthac pleniùs exſequar.

Quintus

Quintus dies erat anni incipientis, festivitati Regum, qui enatum Christum, adoraturi ab Oriente accesſêre, destinatus; hunc soluta Vrbs luxu & convivijs, de more, fovebat: cùm Regina, publicis & privatis curis gravis, in belli futuri consilia cum Mazarino incubuit. Magis magisque invorecundo scelere Majestas Regia fœdabatur. Pensato dedecore, timuit meritò Mazarinus, ne Rex leviorem in dies reverentiam experiretur. Plurima volvebat, non dubius, ita Gallorum animos esse, vt ex successibus omnia æstiment; &, vt plurimùm, Fortunæ, dent quod Virtutis est; frustratos conatus apud eos contemptu vindicari. Alternanti, tandem visa potior sententia: improvisam Factionem invadere, & confestim in eam vertere impetum. Ac ne sermones morâ sererentur, illo ipso die in Palatio Aureliani, decretum fuit clam discedere, concubio noctis linquere vrbem vino & epulis sepultam. Præter Reginam & Mazarinum, huic deliberationi assensêre Aurelianus, Condæus, Meilleræus, Villa-

regius, Grammontius, Tellerius, & Riverianus Abbas. Grammontio data cura, Regem cum Reginâ & Andegavensi educendi. Quod feliciter illi cessit: Per posticum, mirè sagacem, suetâ solertiâ, factionem fefellit. Aurelianus cum Mazarino, diverso anfractu viarum, jam evaserat. In medium Reginæ stadium, (Cursum vulgariter vocant) Chaliotum versùs, conveniunt omnes. Per acuta frigora, & abrupta viarum, inter tenebras intempestæ noctis, diluculante die, fano Sancti Germani redduntur incolumes. Condæus, matrem cum fratre & sorore abducturus, tantillùm remansit. Mater, cum Contio, viæ se tradit obsecundans. Longavillæa recusavit, partumeium ventrem prætexens; sed Noësiaci congressûs non immemor, longè diversa meditabatur. Prætoriani summo mane discedunt Regi adfuturi. Optimates non pauci eò properant; siue cura, siue inquisitio erat. Penes Aurelianum summa belli: Plessæus Prâlinus occupat Fanum Sancti Dionysij, tertio ab Vrbe lapide: Grammontius Nouigentum seu Clo-

doaldi Fanum : Corbelium ſine morâ inuaditur. Regina lætabumda, non ſine Numine, cuncta proſperè ceſſiſſe, vires etiam amicas vndique adventare; Condæum benignè excipit, per geſtorum memoriam, & præſentis operæ neceſſitatem, humanitatis officia in eum geminans : Nec deerat ille laudibus ſuis, ſubmiſſus in Reginam concinnâ modeſtiâ ſe inferens.

Per Poëſſiacum oppidum, & adjacentia, ſeverè cautum, ne qua eſui idonea in vrbem vectarentur. Vaſtatur militis proterviâ Lutetianus diſtrictus : intentatur palàm hoſtilitas : diſcrimina omnia, ſpecieſque fortunæ terribiles. Vrbs pavida, criminum manifeſta, meritò plecti : metu coërciti quos beneficia non mutarant. Paucorum culpâ cunctis exitiosâ; latè fuſum corpus ambitioſi delicti, pœnas dare. Penuria vnius diei cernebatur; Humanam vitam ſuſtineri recentibus alimentis; vrbes extero ciborum appulſu. Cohortes vbique conſcribi. Miniſteria Sacerdotibus, & magiſtratibus imponi; nihil immune : pauciſſimis calamita-

tis Authoribus, in vniuerſos cladem ſerpere.

Eodem tempore, imbribus & ſolutis nivibus auctus Sequana, plana vrbis ſtagnaverat: ſecuta eſt ædificiorum & hominum ſtrages. Illa exundatio prodigij loco habita, tanquam ipſi amnes Lutetiam infeſtarent; [quod fors eſt, ſeu natura, id fatum & iram Dei ſtultis arbitrantibus.]

Effuſa interim fama, vrbis cladem latè vvlgauerat. Fidiſſimi Procerum, inter mutua colloquia, temporum injuriam non premere. Regina diligenti memoriâ à cæteris diſtinguere dignos, quibus vnis ſe crederet. Rex ad Præpoſitum Mercatorum, (is Lutetiæ Magiſtratus eſt,) ſtrictim per Epiſtolam enarrat diſceſsûs ſui cauſas; *fluxam fidem Factionis, inſidias ſibi ſtructas; non tutò potuiſſe vrbi diutiùs immorari.* Aurelianus & Condæus ſeceſſionis Regiæ Authores ſe, ſcripto profitentur. Senatus per Regium Diploma jubetur vrbe exire, & juri dicundo, Montargij inſidere. Vrbs inde territa, quæ Rege & Senatu non illuceſcente, noctеſcit. Corinthius Antiſtes Regis literis ac-

citus ſe paratum obſequi teſtatus eſt: Conſcendit rhedam, abiturienti ſimilis. Plebs circumſtat, præbens retinacula. Ille pridem omnium corda ſibi devinxerat: erectis ſtudijs Fervebat coëuntium turba: cuncti oſculum manui & veſti ferebant. Ille plebeijs delicijs & plauſibus, quàm Regijs mandatis malvit obſecundare. [Tam arduis rebus, ad trahendas vvlgi mentes opus fuit induſtriâ.]

Talonius, Bignonus, ac Melianus, qui apud Senatum dicuntur Regia procurare, ad Regem delegantur. Non auditi, ne quidem viſu dignati, redeunt: adnitente id maximè Condæo, ex turbidis tunc gloriam captante. Convectantur Lutetiam quæ præſenti fortunæ conveniebant. Vix credibile, quanta copia omnium rerum affluxerit, & quâ penuriâ extrà laboratum. Nullum periculi genus detrectant Ruſtici, vt ſuccurrant obſeſſis. Cuilibet ingreſſus conceditur: egreſſu vrbis prohibentur omnes; ſcilicet vt per tot pignora & neceſſitudines Aula miteſceret. A convvlſæ vrbis exitio,

vt existimabant, non pauci furto vestium se subtrahunt. Prohibetur Senatûs-consulto militi Regio ac Ducibus, vrbium oppidorum, & arcium introitus : arcendos vndique, tanquam patriæ hostes. Per Edictum publicè denunciatur, *ne quis Mazarineos, (ita Regij vocati,) commeatibus, armis, alio-ve quovis bellico apparatu subleuet : qui contrà fecissent, ejsdem quibus Mazarinus pœnis, obnoxij essent.* Inexpiabilis odij rabies hoc bellandi aut paciscendi confinio apparuit.

In hunc mundum processêre pauci dies, aliquâ novâ tempestate semper notabiles. Tandem in Mazarinum fulmen detonuit. Frequenti Senatu, *reus læsæ Majestatis, perturbator publicæ quietis, pronunciatur. Jubetur omnis ætas, conditio, sexus, insultare; grassari in eum omni telorum genere: si quis eodem hospitio communicauerit, reus eodem crimine censetur.* Ille in solatium Virtutem adhibere, quæ nec clades mereri, nec, cùm accidunt, dejici potest. Constantiâ, nullâ vi, libatâ, in pristinæ lenitatis specie perseverabat : semper ita passus injurias, vt videretur non sensisse.

Non aliàs intrepidius ſuas partes quàm in eo, obijt Fortitudo: magnitudine animi contumeliam, etiam juſtos metus, auerſante. Pro certo habeo, conſilium quorumdam fuiſſe, quatuor aut quinque Factionis Anteſignanos, funditùs perdendos; ijs ſublatis, cæteros fidem rupturos. Obſtitit Mazarinus: acriùs, aſſerens pro vltione defunctorum, quàm pro viventium decore, plebem certaturam.

Hìc velut agmine facto ſe produnt, Senatûs partes ſecuturi. Primus Elbovius Aulæ ſe ſubtrahit, & tergeminâ prole innixus, Patribus ſuam operam exhibet; non ſine ſpe, vt diſſerebat, in partes Aurelianum trahendi: quod commentum brevi evanuit. Bullionæus, depoſitâ perſonâ, voce ad fidem compoſitâ, in Senatûs verba juravit: obſides liberos donans, cum conjuge; pignora fidei ſemper ambiguæ. Tantùm potuit Longavillæa ſuadere, vt Contium fratrem, Maritum, cum Rupifoucaldio, & Noirmontio, in partes abduxerit, non ſine ſummo periculo. Populus ob adventum

tot Optimatum, feſtis acclamationibus exultavit. Doluit Longavillæo, honos in Senatu Elbovio feſtinatus: & eo momento, de Neuſtriâ ſuâ cogitavit, quò brevi poſteà ſe recepit, multa & præclara minatus; ſolo animo apiſcendi aliquid à Rege, Factionis relictis ſtudijs, quibus nunquam validè incubuit. Nullus faciliùs in partes ceſſit: nullus minùs anxiè eas deſeruit. Beaufortius, qui à carcere tutus latuerat, Vrbem eques intrat: tanto applauſa, vt affuſa paſſim plebes eius genibus, vt olim Guiſiadæ advolueretur. Mottanus Polemarchus, Longavıllæi impulſu, cui plurimúm debebat, aut Lugdunenſis ergaſtuli memoriâ, acceſſit Factioſis. Corinthius ſupra cæteros, clientelis, authoritate, & eloquio valebat. Illi propoſitum, ſui terrorem incutere: Elbovio, pecuniam corradere: Bullionæo magni Aulæ ſe vendere: Longavillæo, extorquere quodlibet, dùm aliquid: Contio nihil, niſi ſorori obſequi. Rupifoucaldius inhiabat ſuis commodis, nullâ injuriâ affectus; Longavillæa, impetui quem Natura dulciſſimum habet,

habet, indulſit: pudicitia ſemper amori ſuperfuit: fama non eſt verita mentiri; quâ poſteà vſa integerrimâ, ſtirpis claritatem adauxit. Sic fluxêre aliquot dies. Nonnulli inſtar Sequeſtrorum, hinc & inde pro publicâ quiete, commeare. Rursùs turbulenti ludi inſtaurabantur: quidam cenſuêre brevi bellum profligandum; alij longiori mole atterendos perduelles. In vrbe, varia in Mazarinum Scripta. In Aulâ, non verbis, ſed ferro refutare iniurias.

Diſpar vtrinque forma apparatûs. Hîc tumultuaria manus, & ſubitus miles; diſcordiâ cuncta, fervere; vvltibus aliquid atrox, aut timentibus, aut auſuris: Mœror per horrenda conſilia ducebat, qui laxatis animis ad ſuæ militiæ ignobilitatem reſpiciebant. Longè alia facies in Regijs caſtris. Maieſtas, Cauſa, tot Principes, tot Duces, maioribus auſpicijs venerationem invenerant. Ingens ſpes de Condæo; quippe bello inclytus, nec deteriore ingenio, conſiliorum prudentiâ maturus, ſui Genij magnitudine Regias partes extollebat; ad om-

nes curas, etiam viles, intentus; nihil ex suo genere, præter animos vſurpabat; privati ſui fati, publica faciens. Faciliora omnia Factioſis hoc ablato, aut abſente credebantur. Longavillæa ſoror in vrbe fraternas curas & vim animi æquabat. In Palatio Vrbis, fidei pignus, ſe, & rubentum à matre turbidè natum, puerum exponit. Statim vvltum rebus reſtituens, quem niſus parientis exhauſerant. Circumſtant Duces promiſcuè & plebes lectum puerperum. Eâ arte diſpenſat nutus & oculos, vt in tantâ frequentiâ nemo neglectum aut omiſſum ſe ſentiret. Tumultibus publicis fractus animus, ab obſtinatâ defenſione non quievit. Interim Baſtilia à Factione per deditionem capta eſt, Tramblæus Gubernator non ægrè oppugnatus, creditus eſt pugnaſſe, tanquam qui nollet vincere. Nihil æque movebat animos quam ſpecies miſeranda agri Pariſienſis, militum proterviâ deſolati. *Nullus in Orbe locus illi prælucet: Talem ſitum beneficium Dei putares. Innoxius aër, nulla veneno infeſta animalia: copia fontium, flumina & vivi*

exhilarant ac cingunt. Nihil æſtu Siriùs exurit, nihil hyems torret; ſed læto prouentu juſta tellus Agricolas beat. Ingens leuamen, tractum felicem incolentibus, quòd quacunque intermittunt Palatia & Prætoria, vberrimi pecori & arboribus paſtus enaſcuntur. Hæc tam culta barbarus miles derepente habuit : eò miſeros ciues diſcordiâ adigente. [Quando erit, vt Vvlgus, diſcuſſo errore, conſilia inſida deteſtetur?]

Belli interim non leue momentum Neuſtria, cum Longavillæo ſuo; cui, etſi cum cæteris Factionis Ducibus peſſimè conveniret, non invalida tum Rothomagi, tum per illum tractum, potentia erat. Nomine Regis ſupervenit Harcurtius, conſilijs præceps, & ſubito imperio ferox: exploratas cohortes inexperto, & obvio Longavillei militi, fruſtrà oppoſuit; tanto odio in Mazarinum flagrabant omnia! Pars Rothomagenſis Senatûs Vernonem ad Sequanam, conceſſit; pars apud Sanctum Germanum, Regia juſſa exſpectans, indecorè commorata; pars diſperſa, ſui incerta, exitui rerum imminebat. [*Neuſtriæ tractus vt plurimum Oceano adja-*

cet. Pascuorum magna vis & pomorum : tanta autem soli vbertas, vt suis alumnis & vicinis sufficiat; multò magis suffectura, nisi vescendi intemperies, cœlique conditio multum cibum desideraret, superbit ventosa natio, quasi vrbem dominam pascat & in suis manibus Lutetiæ fames, vel abundantia posita sit, cum potius tributa præstet, quam alimenta, nec tam nutriat, quam seruiat populo victori. Magno illic aditu ad Iudicum potestatem; Populi genius substilitatibus apertus, quæ litibus Fora implent. Gens sciens formularum, omnisque ad litigandam articuli. Cum his mortalibus agenti, magnâ cautione opus est. Sua dissidia ingenio, rarò sanguine peragunt. Ad omnis vitæ genera, suam industriam aptant; indole non excelsâ, sed in quæcunque studia inclinant, mediocri. Nullibi major patientia injuriarum; dummodò de inopiâ securis, lucelli spes affulgeat. Nobilitas numerosis clientibus grauis, non diù, simili cultu, fortunæ suæ par est: ideo mutationibus inhiat, sed profuturis. Aulæ vicinia Normannos suis Rectoribus minùs obnoxios reddit.]
Tam cautam gentem vicit temporum malignitas: sed quas provincias non perstrinxit

hic Cometes? Longavillæus exſpectabat anxius, donec erumpentibus ſtudijs, poſſet addictos aut Regi aut Partibus dignoſcere; talibus indicijs res ſuas compoſiturus.

Aula inter Pariſios, & Rothomagum, potentiſſimas Regni Vrbes, inopiâ rerum omnium laborabat; pecuniæ imprimis; vndique ſubſidijs ægrè adventantibus. Per tot anguſtias, nihil æquè torquebat Mazarinum, quàm Aureliani & Condæi ingenium. Ille moræ impatiens, belli, quod paucorum dierum æſtimaverat, contumaciam deteſtabatur. Hîc à bellandi ſtudio ad artes confugiſſe credebatur; &, quæ omnium artium pervicaciſſima eſt, fingere lætitiam & amorem rerum, quibus maximè infenſus erat. Lagnium ad Mátronam per Perſanum capitur: vnde illa fœcunda Briæ ora infeſtatur milite Regio.

Ægriùs indies miles Vrbanus, imperata exſequebatur. Muſſantem videres enervi faſtidio; & in pluribus impetum fractum. Ideò Corinthius ſuggeſtum aſcendit in Fano Divi Pauli. *Vos incolumes*, inquit, *vos victores volui:*

& justissima causa absolvebat, nisi pœnitentia & leuitas vos reos faceret. Plurima invectus in Regimen & Mazarinum, de suggestu descendit: infulis depositis, arma aptavit. Sæpiùs vrbe excessit incursaturus in hostes, pacificæ dignitatis nullâ labitâ ratione, (quod multi se vidisse asservere, non ego) splendido semper sumptu, atque in gentes vt plurimum profuso; patrimonium suum & alienum vexavit. Rupifoucaldius, majoribus illecebris, Longavillææ mentem invaserat: [omnis fortunæ societatem inter se promiserant.] Corinthius secundi gradûs non satis patiens, Beaufortio & Funditoribus se adjungit: Neque enim vnum Factioni Caput, nec vno animo regebatur. Certum est Longavillæam & Mombazoniam, inter Aulæ tropicos educatas, non solùm in secretorum consortium admissas, sed, grandi Fortunæ ludibrio, animos Ducum temperasse.

Nihil magis Parisienses cruciabat, quàm Corbelium, sibi initiò ereptum per Vxellium, Burgundicis copijs, Regi suppetias

ferentem. Beaufortius, Rupifoucaldius, & Noirmontius eliguntur recuperando oppido, cum validâ ſed inexpertâ manu. Vrbe exeunt ovantes: populus effuſus ad Sanctum Victorem aurâ affectûs proſequitur abeuntes. Ivvizium vix pervenerant, ad quartum lapidem, cùm laſſitudo aut metus periculi ſubit: pars ſigna deſerere, pars latebras quærere, multi clam dilabi. Illi commilitones ſequebantur, hi trahebant. Paſſim excedebant manipulis; Nunc viarum anfractibus, nunc publicè & per compendium Vrbem petere. Marcidæ voces, & potitantium rauca ebrietas mandata Ducum interpellabat. Præſaga mens adulterinæ Militiæ, Condæum ſupervenientem effugit. Creditus eſt noluiſſe, pugnâ ingloriâ, inter tot temulentos fortitudinem conſumere, ignobilitate certaminis victoriam maculaturus. Sic Rex incruentâ felicitate fruebatur.

Vitrius exijt quoque, publicas vias, ad commeatus, liberaturus: & cùm ex Briâ reduci, Germanorum manus occurriſſet, pugnatum vtrinque ſtrenuè ad Vincennas. Ibi

occisus Tangredus. [Hunc Margareta Bethunia, Henrico Rohanio marito, editum promulgavit; irata gnatæ, quæ nupserat Chaboto, se invita. Margaretam, matrem huic puero fuisse, indubitatum: de patre incertum. Constat Rohanium de tali progenie nihil vnquam audivisse. Diù latuit proles ambigua, ignobili apud Hollandos latebrâ: ruri opus faciens, vnde repentè in lucem prodijt. Firmus in eo octodecenni & liberalis totius corporis gestus, vivax indoles, nec impar venusto vvltui animus. Tale commentum aures publicas diù detinuit. Opportuni hi motus supervenêre, occasione misero datâ pereundi. Mater, conscientiæ & charitatis stimulis, omnia in eo & ipsam mortem mirata est, mariti nomen tantâ sobole reparatura. Regius miles lascivire, detrectare munia, prædas & latrocinia sectari: solvi desuetudine periculi. Decretum, Charentonem invadere, & eripere Vrbi tale adjumentum. Clanlelius, nomine Senatûs, lecto milite oppidum ad Mátronam, ponte junctum tuebatur. Aurelianus ipse

turmas

turmas duxit ad Sanctum Dionyſium; vbi decernitur, de vico aſſultatim adoriendo. Condæus toti expeditioni præfuit: Chatillionius, Condæi auſpicijs, opus aggreditur. Fit via vi: Regius miles perrumpit repagula ſubitariâ manu conſtructa. Chatillionius loco potitur ſuo ſanguine parto, quippe plumbo lethali tranſverberatus, potiùs gentis ſuæ fato, quàm ſuo, cecidit. Gaſparis illius Collinij reſidua recta ſoboles, & ſuperſtes tanti Heroïs ſanguis, Clanlelius, non deditionem ſui faciens, veniam aſpernatus, oblato vitæ muneri, libertatem donare recuſavit. Pariſienſes turmæ, extra Divi Antonij, portum exceſſerãt, vano ſui oſtentu. Non viſum opportunum Condæo, eas adoriri; ſed Charentone præſidio munito abſcedere. Biduo pòſt, Beaufortius ac Marſilliacus, validâ manu exeunt, vicum expugnaturi. Illicò avocantur, vt ſuppetias ferrent Noirmontio annonam advehenti, quem Grammontius infeſtabat, à tergo laceſſens. Ille non rectâ viâ, ſed per anfractus ad Vitriacum pagum, inter vepreta & vineta,

pervenit. Ibi acriter vtrinque pugnatum : ſed Mottani, qui non procul aberat, adventu, Grammontius Sanctum Clodoaldum repetijt, parte commeatûs direptâ. Vbi relatum Lutetiæ de Beaufortij periculo, vrbs effuſa accurrit, plebis, ſive metu diſcriminis, ſive inſaniâ, lymphatis animis. Poſt Guiſiana tempora, non aliàs populare ſtudium vehementiùs in quemquam exarſit. Rursùm Senatus ad Pleſſæum Guenegaldum, Regi à publicis Actibus & Epiſtolis, virulentum in Mazarinum ſcriptum, emittit. Sententia, vt cæterorum; *ſe paratos Regi obſequi, dummodò Mazarinus eliminaretur, aut cauſam diceret : Ejus intolerandam poteſtatem : ſtudia Regis, à Ciuium ſalute diuertere : ex illius libidine capeſſenda omnia. Publicas opes, quacunque ratione degeri, in vnius vſus; & quæ ſplendori & vtilitati communi, vota Majorum deſtinauerant, triſtiſſimo errore, in neſcio quos profundi, nondum primæ ſortis immemores, & in quam recidere ipſi, & hæredes, poſſent. Nouam ſubinde Nepotaginem, Româ exſpectari; nobis obtrudendam, & publicis impenſis ſaginandam. Faſcinato Principi*

palàm illudi, qui perniciosâ indulgentiâ & immodicè largiendo se & regnum lædebat: Sed Regum reuerentiam ita apud Gallos viuere, vt vel cunæ ad sceptrum natorum, tacitâ confessione, eos tangant, nec ijs parere indignentur. In rudimentum regnandi, animum Principis ex suo formare Mazarinum, & neglectâ Virtutis familia, dispensare voluntatem Regis per suas clientelas: decedere aliquid sibi, credere, quoties extra se suosque, de Regia, donatus aliquis abiret. Falsis Viri virtutibus, aut splendidis vitijs Reginam deceptam, certum esse, non recenti iræ, sed securiori vindictæ, instar victimarum, optimos Ciues reseruari. Hæc & similia Scriptio continebat, nomine vniuersi Senatûs; cujus sanior pars, minùs suo, quàm temporum vitio, Seditiosis obsecundabat, Apud populum autem obstinare tantùm Factionem, qui sibi conscij, præter civilis defectionis nefas, aliquid peccavissent. [Spiritus, quos patibulo debebant, tumultui reddentes:] aut quorum egestas inopem pacem metuebat, & publicis malis pascebatur. Multos vexabat suæ credulitatis ineptia; laruâ positâ anxios, quà

ſe reciperent ad bonam frugem. Suſpecta in dies Ducum fides: Vndique vires in Caſtra Regia adventare.

Vt primùm Mazarinus, (à nullo ingenio ſævitia magis abfuit,) perſenſit, non periculosâ lenitate, poſſe miſeræ Vrbi ignoſci : tempus occupandum cenſuit, Cum Rex vbique victor, (exarmatâ, paucorum ſanguine, Improbitate,) poſſet decorè Pacem Subditorum, beneficium facere. Decretum, Fecialem mittere, cum Literis ad Senatum, Præfectum Mercatorum, & Contium; quibus præteritorum fida obliuia promiſſa, dummodò intra quatuor dies, ſe Regi ſiſtant, veniam rogaturi. Hæc prima dies ad publicam quietem illuxit; quæ, quibus modis ſucceſſerit, & pax tandem perpetrata ſit, paucis ediſſeram. Non admittitur Fecialis in Vrbem : ſed faciſculo Literarum; in ſuburbio Divi Honorati, ſuper repagulum, relicto, reverſus eſt. Tardis & incertâ conſultatione diu libratis animis, tandem putat Senatus, arripiendam eſſe hanc paciſcendi occaſionem. Ideò Procuratori & Ad-

vocatis Regijs, ita vocantur, commeatûs tessera à Cancellario, & Tellerio petitur, quò se tutò in Aulam conferrent; cur Feciali negatus aditus, Reginæ approbaturi. Sed ne, dum hæc pacis primordia elucescunt, Vrbs per annonæ inopiam languesceret, Marsilliacus obviam it Noirmontio, alimentorum vim, ex Briæ partibus advectanti. Granzæus, cui Regiæ turmæ apud Lagnium, & per illum tractum, tunc parebant; Noirmontium parat aggredi. Ille, opportunitate loci sapienter electâ, evasit. In Marsilliacum, per patentia incedentem, impetus desævijt. Ignobilis Militia explorato regio militi, id est veterano, non diù obluctata, repente dilabitur: Marsilliacus saucius, ægrè periculo ereptus, Lutetiam semianimis advehitur; plagis plusquàm opus erat ad mortem, adactis.

Libellis assertorijs acceptis, Talonius, Melianus, & Bignonus, Sanctum Germanum se conferunt; hoc monito, ne coëuntis Pacis initia temerè rescinderent. Rex ac Regina in medio, Lectissimi Principum &

Magnatum, consessus assidebant. Post quàm tres illi mortales, tanquam sequestri, idoneo gestu cultuque cœtum propitiassent; iteratâ veneratione Regem cum matre prosecuti, & paulò progressi, se demisissent, Vt propiores intrà pauca vestigia fuêre; Regina blandè excepit; Talonius ita exorsus est.

Summum votorum pridem, Domina, fuit, genibus tuis aduolui. Te Rectrice Gallia terrarum omnium felicissima. In dejectos & obnoxios ciues sequere clementiam: solo Majestatis conspectu potes vlcisci pœnitentes. Non veremur in suspicionem venire fidei prostitutæ: etsi improborum injurijs vexatus populus, stultè in Regem aut patriam suos dolores vindicare conatus est: In præteritæ licentiæ veniam, tuâ sponsione contenta Vrbs, statuit in hac sibi præsidium. Obsequium duntaxat invenies, quandò voles. In te secura, non inuitabitur amplius ad peccandum, Contumacia, per recrudescentem armorum libidinem. Misisti ad nos Fecialem, nostram fidem & probitatem exploratura. Quod, inauditum remisimus, id reuerentiæ, non proteruiæ tribuendum. Non vsque adeò nostri obliti sumus, vt ad Principem & Dominum no-

ſtrum nos æquiparemus. Supremarum Po'eſtatum eſt, inter ſe Feciales mittere & accipere, Si nos ijs inſeris aut annumeras, gloriam indebitam meritò aſpernamur, ſola fide & decore obſequij contenti. Si rei, ſubdimur; condamna ſupplicio paratos : Et meruimus. Vt deſijt loqui: Regina, tantâ facundiâ delinita, breuiter reſpondit, *Experturos; nullos ſibi cariores, quàm quos vltrò pœniteret; & omnia hæc, exitum probaturum: Interim Cancellario auſcultarent.* Hîc aptè multa deſſervit: *fortunas populi deflere, videndum tamen, ne pœnitendum beneficium illi detur: non vincendam, ſed plectendam Factionem :* Reginam tandem non accendit, ſed paravit ad lenitatem. Pòſt, laxatis foribus, hilariter ad convivij locum deducti ſunt. Aurelianus & Condæus, ſeriò viſi monere, vt ſe fidei Reginæ committerent, à quâ omnia ſperanda. Lutetiam illi reverſi ſunt, exſpectato opimiores.

Archidux Auſtriæ Leopoldus, Belgio tunc præerat, non ſine arcanis mandatis, vt Gallicis tumultibus invigilaret. [Id moris eſt Hiſpanici, proſpera noſtra limis oculis

ſemper intueri, & adverſis gaudere.] Mittitur, Leopoldi nomine, Arnolſinus, cum literis ad Senatum & Contium; quibus in domo Elbovij priùs ſeſe exoneraüit. [Principi vix octodecenni, non odium, non amor, niſi indita per Sororem & Marſilliacum. Talis illi tunc Senatulus erat, cujus conſilijs ad Archiducem, Noirmontius & Legueus delegati ſunt.] Pollicebatur Leopoldus auxiliares, in Lutetiæ ſubſidium, copias, dummodò Arx munita aliqua, ex noſtris, in finibus vtriuſque ditionis, pignus concederetur. Hoc veteres Hiſpanorum artes, non deſitas prodebat. Ea fuit quorumdam veſania, vt id fieri debere, impudenter arbitrarentur. Cordatiores averſati ſunt. Aderat Leopoldo Galliam intranti, Ludouicus Trimollius Noirmontius, torrente factionis abreptus potius ſuo fato, quam in partes propenſione à quibus ita fuit alienus, vt ad hoſtilem ingreſſum, exhorreſceret, ac potius auertendæ vaſtationi & populationi, quam promouendis Hiſpanorum cœptis, metator præcederet; inde tamen criminatio cujus

jus

jus immeritò pœnas luit; Cum ſola memoria Lentiacæ pugnæ, vbi loci iniquitati, & ingruenti hoſtili toti exercitui, torrente interjacente ſuperato, cedere coactus, Condæo poſtmodum junctus, tam ſtrenuè ſe geſſit, vt quicquid poſtea devium, ab obſequio Regis, facile poſſet obliterare. Arnolſinus petit admitti in Senatum; &, quod mirandum, aut abominandum potuis, admiſſus eſt: ac Literas Archiducales tam venerando Cœtui exhibuit, præclara & magna, nomine Leopoldi, promittens. Non aliàs moroſiori trutinâ diſceptatum. Tandem optimi Ciues, errantes, ad ſana conſilia reduxêre. Diſcuſsâ erroris nebulâ, in dolos Ibericos & fallaces inſidias penetratum eſt; ac ſtatutum, quicquid ſit, timendos Hiſpanos, dona etiam ferentes. Senatus Pariſienſis, nec vano Ducum apparatu, nec Hiſpanorum promiſſis permotus, ſelectos Viros ad Regem ac Reginam delegavit, Principem ſui Cœtûs Molæum, Memmium, ac Violeum, cum Senatoribus, præcipuis probitate & rerum vſu.

Sub idem tempus, pestilens Sydus Factionis, velut contagio, (quod præterire non debeo,) Angliam afflavit; quæ rerum suarum oblita, Sancto ac venerabili numine Majestatis violato, legitimo Regi non pepercit. Carolus paternum Regnum tenebat; mitissimi ingenij homo, nec in vindictam idoneâ severitate acer; à negotiorum summâ abhorrens, vt qui nimiâ felicitate laboraret, infidis consilijs se & sua credidit. Hinc optimo Regi malorum omnium causa; invidiâ præcipuè non tam Farfaxij, quàm Cromvelii Regiis erroribus imminentis. Dum Carolus animum curis exoneratum otio pascit; hîc efficit, vt nulla pars Regni sana esset. Iamque Furor & Ambitus arma in Regem induunt, & prostrato manus injiciunt. Rex serò excitatus, cœpit & nominis sui & causæ meminisse: sed iam sui iura perdiderat, magnitudine animi nemini Regum inferior; & qui aliter capi non potuit, quàm suâ bonitate; alieno tantùm scelere ad suas virtutes coactus. Cromvelius, vir manu & consiliis strenuus,

ſolertiſſimè blandus, nulli mortalium credulitate & ſuperbiâ, quoties tutò licebat, conceſſit: tandem eò vſque progreſſus, ſiue fato, ſiue temporum culpâ, vt in ferali pegmate, (quod cuilibet notum,) Regi Carolo iuridicè, per Comitiorum ſententiam, ſpectantibus Subditis, cervix ſit abſciſſa, ſceleratâ Carnificis manu. Hæc obiter, quia iam attigi libro ſuperiori; Aptior erit locus, de Cromvelio fuſius dicendi, qui interim calens à Regis ſui ſanguine ſolium invaſit.

Iam ponere Lutetiæ videbatur æſtus; cùm in illis remiſſionibus, conſilia pacis ferè interrupit Turenii caſus, Ille in Alſaciâ præerat exercitui ex Gallorum ac præcipuè Germanorum veteranâ manu conflato. Frequentibus Regis Literis accitus, nectit moras fruſtratrices, lentis itineribus cunctari manifeſtè viſus: quò propenderet, eò pondera rerum inclinatura, non vanè æſtimare. Bullionius, in Sedani vindictam, fratri malè-ſuadus: Turenius, toties magna meritus, promiſſis facta non reſpondere for-

ſan non falsò querebatur. Mazarinum non latuit mens auerſa Turenii ; eius ideo in Caſtra immittit Harvaldum , qui ſolutis ſtipendiis, Germanos, in Regi debitam fidem, ſegregaret. Gens neſcia fraudis , vanis & infidis, ſolidum decus prætulit. Sic Turenius ab exercitu deſertus, ſalvus ægrè evaſit, cœptorum infelicitate agitatus; Hinc exiguo famulitio, in devia decedens, crudi conſilij pœnas luit, Leue damnum, per tot rerum decora, posteà gloriosè penſaturus ; Sæpe felix , ſemper Magnus. Cohortes, in Regis verba novo ſacramento adactæ, Roſæ paruerunt.

Ranzovius Olſtenienſis , id est pœnè Cimber, per omnes militiæ gradus , etiam Polemarchi in Galliâ dignitatem adeptus, (quod rarum in Extero ,) Dunkercano Munimento , tunc præpoſitus , vt jam notatum , (ingens fidei argumentum ;) creditus eſt, per hos tumultus , Hiſpanos auſcultaſſe, noxijs auribus, ſed animo defectioni impervio. Multa temulentus effudit, præſertim in Condæum , quem ſibi infen-

ſum non temerè credebat. Hæc Ranzovio cauſa infortunij fuit. Nam Condæus arreptâ occaſione, Cimbrum præcipitem egit, qui vocatus, ſtatim Regi ſe ſiſtit, nullâ cautione adhibitâ, audax, quòd nihil ſibi conſciret; In Vincennæ carceres deductus, mœrore ac tædio inſanabilem morbum contraxit; abſciſſis per vvlnera ferè omnibus membris; Plus nobilis iræ truncus habuit, quàm multorum integra corpora. Vxor pro conjuge luctum amans, perfruitur lacrymis, & in Cœnobio deſiderium mariti ſolatijs honeſtis tolerat, claro fortique exemplo.

Apud Fanum Sancti Germani, Regij Conſilij Primores cum Delegatis à Senatu, Pacem ſerio procurabant; excluſo à Conſeſſu Mazarino, tanquam Decretis publicis peracto reo; annitentibus maximè quibuſdam Aulicis, vt partæ quietis decus ſibi retinerent. Regina contrà obſtitit; ac tandem eo admiſſo, 11. Martij menſis, anno 1649. firmatæ pactiones, magno Plebis gaudio. *Obliuione præteritorum omnia ſancita. In integrum cuncta reſtituenda: Regem Lutetiæ red-*

dendum : vectigalia minuenda : de Pace cum Hispano audiendum; & Senatorem ætate, & vsu rerum venerabilem, ex Primarijs, vt bonis illa rationibus coiret, immiscendum negotio. Cætera ex Actibus publicis talium sitiens Lector haurire poterit. Ita præsenti tumultu composito, ferè sine cæde & sanguine, rediêre Senatores in Vrbem; Læti, quasi suâ dignitate & sagacitate, res impetrabiliores fecissent. Certum est; illa Pacta Regi ingloria fuisse; qui vi armorum excetram paratus consummare, prostratæ indulgebat; quod stans illa, & erecta consequi desperasset. Mazarini prudentiæ id tribuendum, qui in Aulæ Asseclis omnia infida probabat; nec Condæi cupiditati moderabatur.

LIBRI TERTII

FINIS.

BENIAMINI PRIOLI DE REBVS GALLICIS, HISTORIARVM LIBER QVARTVS.

Lutetiæ seditio vix quiescit; verminat factio, per noua meditamenta. In Prouinciâ, ac præsertim in Aquitaniâ, Rebellio aduersum Rectores, quam Condæus occultè fouet; Per omnia palàm Mazzarino aduersus; turbat passim viri Consilia, & cogitatos pro Neptibus hymenæos, Aulæ demum Princeps grauis, funditoribus grauior, sibi, fratri, & affini procurat carcerem, paucis dolentibus.

TOTVM id tempus, quod post Sancti Germani conventa, proximè est secutum, varijs factionum conatibus fuit solicitum: ac is fuit Vrbis status; vt magis Bellum non esse, quàm Pax esse vide-

retur. Non certatum ampliùs; non prædæ abactæ; non villarum incendia: Omnia incruenta potiùs, quàm ſedata. Vrbi laxior annona redijt, ac timor cuique abijt futuræ inopiæ: ſed variè hominum animi pro cujuſque indole affecti notabantur, & belli damna, ſi non per incurſiones, at per clandeſtina conſilia evagabantur. Condæus, etſi multis tenebatur indicijs, omniumque oculis & ſermonibus, Fautor Partium deſignaretur, in priſtinâ officij ſimulatione, erga Mazarinum perſeverabat. Beaufortius in Vrbe Funditoriæ factionis princeps, aurâ populari & plauſu gaudebat. Vindocinenſis, ideſt Vandomius pater, ac Mercurianus primogenitus, feſſi calamitatibus, gratiam & affinitatem Mazarini, malorum medelam, palàm ambire. Mancina, ejus neptis, cauſa diſcordiæ, dum alij, Mercuriano locare contendunt, alij averſantur. Turbarum indè ſemen, poſtmodùm ferax ſeges. Mazarinus, tam ſubleſtam fidem vbique expertus, animo decreverat, potente affinitate, ſe ſuaque munire; eò magis quòd Reginæ mens huc-

vergebat. Viſum opportunum, Mercurianum, primum ſe obtrudentem, è ſanguine Regio, muneribus & opibus amplificrae. Præfecturam Maris, à morte Brezej, Regina tenebat; vitandæ rixæ, inter contendentes: eâ libens parat ſe abdicare, in gratiam matrimonij; ſiue Vindocinenſi, ſiue filio Mercuriano, munus deferretur. Beaufortius, quò plebis favorem ſibi magis magiſque demeretur, conſilia Patris, & primogeniti deteſtari. Gaudebat Pater, quòd duobus Munimentis per geminam Prolem, inſiſteret. Riverianus Abbas, Aurelianum ſtrenuè impellebat, vt Nuptias ſuo aſſenſu comprobaret, Vndè Mazarinus audentiùs rem aggrediebatur; de Condæo etiam, vt rebatur, certus. Nam eo inconſulto; minùs, invito; ne quidem cogitandum, de conjugio Mercuriano, exiſtimavit: immò Beaufortio non conſentiente, vlteriùs progredi repugnabat: vt juveniles ſpiritus à tumultuando, ſic compeſceret; ingens præſidium Turbonibus erepturus. [Nullo alio conſilio Neptes elocandas ſtatuebat, quàm Gallicæ

incolumitatis reſpectu : & vt publicæ quieti potiùs, quàm privatis commodis conſuleret; convenientiora Romæ, aut per Italiam, quàm in Galliâ conſecuturus.] Condæus aliquandiu moratus eſt, antequàm mentem palàm renudaret. Non pauci, magis libidini ſuæ ſtudentes, quàm de Principis honore ſoliciti, die nocteque eius mentem exſtimulabant, & hortabantur, ne fortunam vltrò ſe ſe offerentem, è manibus labi ſineret: omniaque commiſceri malebant, quàm in vitæ tranquillæ certâ conditione eum conquieſcere: neque deerant Adulatores, qui animum generoſum quidem, & magnarum rerum exſpectatione erectum, ſed adversùs fraudes incautum, ad ſpes ampliores excitarent. Multos illi conciliabat Mazarini odium, indignitaſque, ſub peregrino imperio, ſervitutis. Bullionæus, & Chavignius, præcipui incenſores. Ille rerum novarum ſine fine cupidus; vt tandem, ſui Sedani, per turbida recuperandi, occaſio affulgeret. Hìc amiſſæ authoritatis, & decoris erepti non ſatis patiens. Condæus in va-

ria distractus, tandem animo figit; Mazarinum lacessere, despectui habere; palàm, non occultis amplius artibus, adversari. Illa dies malorum prima fuit; illa concordiæ Gallicæ suprema. Funda gaudere Condæi secessione, cuius posteà perfidiâ, per ludibrium, in carceris angustias coniectus est. Interim Hispani Sanctum Venantium, & Yperam adoriuntur; vndè Consilium, Sancto Germano relicto, Compendium petere, quò propiùs hostis consilia, nosse daretur, & ex viciniâ pervertere. Lutetiæ, vbi omnia damnantur, querelæ ob Regem amotum: indè in Mazarinum probra, & famosorum libellorum, nullus finis. Visum consultum, Aurelianum circà principium Iunii in Vrbem venire, sanandis animis. Præpositus Mercatorum, cum selectis ciuibus, libertatem tot pestilentium scriptionum coërcet. Rogatur Aurelianus ferventissimè, vt Rex principi Vrbi, quamprimùm reddatur: quieti necessarium opus, & votum esse omnium bonorum, Mazarinus non concoquebat, illic Regem vivere, vbi per dubium

æstum, vestigia recentis seditionis adhuc fluitabant.

Tunc temporis Hoquincurtius, tanquam sibi in Castris insidiæ struerentur, repentè se subduxit imminenti, vt vvlgabat, periculo, & Peronæ inclusus, sui suspicionem præbuit. Mazarinus de Picardiæ Præfecturâ cogitaverat. Sed, seu cum Elbovio non conveniret de pretio, seu de munitis in illâ Provinciâ vrbibus sibi comparandis, incertus; depositâ illâ curâ, ad alias, animum intendit. Tanti autem Hoquincurtium fecit, vt vltrò eius amicitiam expetere testatus sit. Vterque, die certâ, condicto loco se sistit: & quasi in paria dimicarent, numerus par Armatorum vtrumque circumstetit, arctissimi nexus intercessere; qui aliquandiù durarunt & postmodùm ruptâ concordiâ in extrema dissidia eruperunt.

Intereà exercitum desuetudine periculorum languentem, & vastantem loca, quibus otiosè insidebat, decretum quamprimùm insigni expeditioni admovere; tum hosti terrendo, tum famâ apud rebelles. Non vna

ſententia in Conſilio Regio. Duacum alij, alij Avennas ſuadebant. Mazarinus Cameracum, præ cæteris oppugnandum, obſtinavit, quingentorum militum præſidio duntaxat munitum, vt certo auctore reſcitum erat. [Vrbs eſt in Galliæ confinio, olim ſui quaſi juris; ſub Imperij tutela; Archiepiſcopo ſuo, certis Legibus parens : ad dextram ſpondam Scaldis fluvij. Magni in omnes partes momenti, invidioſa Civitas.] Summa belli oblata Condæo; deſpectam. Harcurtius amplectitur : circumdat Cameracum, irrito conatu; nam immiſſis ſuppetijs, per nebuloſam noctem, ſocordiâ Vigilum, vix cœpta obſidio, Soluta eſt; ridente Factione, non paucis in Aulâ plaudentibus. Creditus Mazarinus, id conſilii cepiſſe, vt Vrbem expugnatam, ſuam faceret. Sic olim Balagnio conceſſa fuerat; & per eiuſdem negligentiam amiſſa, ab Hiſpanis iure belli poſſidetur.

Inter has curas, non acri bello, liberi commeatus erant vndiquaque. Aulici otium conviviis comeſſationibuſque inter ſe tere-

bant. Et quia nihil amœnum, niſi quod Lutetiæ fit, eò advolarunt Iarcius, Ierzeus, San-Megrinus, ac alii non pauci. Hi cum Candalio apud Renardum cœnantes, hilaria agitabant, cùm derepente ſupervenit lætabundis, Beaufortius, minas Ierzeo intentans, (alii etiam Baculum addiderunt.) Cœtus ſolutus, menſæ deiectæ : Lapitharum certamen crederes. Nonniſi iuſto Duello, rem expiari poſſe vvlgatum eſt: ſed, vt apud Gallos, irarum acria initia, languidus finis; ſubitò tractabilibus ingenis: Iuris multum in menſâ, nihil cruoris effuſum; & ex tam protervo aſſultu, læta repentè Pax.

Duo Mazarinum maximè torquebant; infelix ad Cameracum conamen, & finitima regio ſtativis militum deſolata, penuriâ vbique graſſante. Indè, animi dolore fraudato, quaſi Valencenis, cum Pennerandâ de Pace acturus, in Caſtra Gallica tranſiit, ſtipantibus ex Aulâ primoribus. Immane quantâ arte, facundiâ, ac verborum lenocinio, ferociſſimos deliniverit : præſertim Germanos, quibus fidem obligavit, & tandem

dem in agrum hostilem irrumpendi fecit facultatem. Cuncta ibi non minore damno, quàm terrore, deformata; prædæ actæ: saturatus miles. Harcurtius Condatem, oppidum ad Scaldim & Axonam, in planitie situm, ne nihil egisse totâ æstate, videretur, vi capit. Mazarinus Compendium redit; vbi Princeps multa dixisse fertur, vt Reginæ suaderet, non posse diutiùs Regem extrà Vrbem, detineri: mala indè multa, quæ omnia Mazarini rationibus ascriberentur. Aurelianus in eandem sententiam concessit. Vterque non, vt anteà, submisè; sed imperiosè. Aurelianus, vt Patruus Regis, ingens pondus: per Condæum stabat, rei militaris, summa, & splendor. Satius, igitur visum eorum consiliis obsequi, quàm contrà obnitendo, vires addere Factioni.

Ergo 16. Augusti, anni 1649. Lutetiæ Rex excipitur. Ingressus spectabilis fuit, omnibus lætitiæ signis. Effusa vrbs, obviam progressa est: acclamationibus, omni regione personante: Emicue-

runt totá nocte ignes; & temulenta pervigilia, passim celebrata. Rex inter Fratrem, & Patruum medius, ad scandulam Rhedæ, gaudebat applausu; ex adversâ Condæus, à latere habebat Mazarinum, quem Populus oculis figebat intrepidum. Regina, cum filiâ Aureliani primogenitâ, & Condæi matre, introrsùm sedebat. Fusior Regij introitûs explicatio ex variis Scriptis peti potest: dixi quantum ad Historiarum satis est; neque enim ego aut Commentarios, aut Diaria Scribo. Vrbis læta tunc species, cunctis ad justi Domini imperium redeuntibus. Non ampliùs, contemptis Magistratibus, Ius in armis. Die, Sancto Ludovico, Sacrâ, Rex à Luparâ, ad Basilicam Divi, equo provectus, per vrbem conspicuus, stipante innumerâ Aulicorum manu, processit. Paulò antè, Mazarinus, Rhedâ, per celebres Plateas incomitatus, eò se contulerat; nullo pavoris signo, etsi non vno monito accepto, ne prodiret. Conscientiâ & Regis amore tutus, inanes strepitus non perhorruit; pompâ meliore in bonorum animis trium-

phans : nulli exoſus, niſi publicâ calamitate lætis, & qui ſibi impunè futurum rati, in diſcordiâ civili, fulturam privatæ rei collocabant. Quod arcanaum poſtmodùm exitus evulgavit.

Per illam publicæ quietis imaginem, intermiſſa de Conjugio Mercuriali, cœpta eſt inſtaurari tractatio. Filius, Patri obſequioſus, ſponte cedere Præfecturam Maris, dummodò Patre mortuo, ſucceſſio Muneris, ad ſe perveniret. Sed turbatæ iterùm Nuptiæ, quia Condæi ingratijs, eas perpetrari, averſabatur Mazarinus. Condæum, Brezei, in ſolidum, hæredem, in omnia Cognati jura promoveri, fas & jura ſinebant: ſaltem Brezeum patrem, Galliæ Polemarchum, virum non aſpernabilem, in ſolatium orbitatis, ſuccedere defuncto filio. Hæc paſſim jactabantur, alieno tempore. Interim Beaufortius non deſerere Partes; in Aulam ventitare, Regem ſalutare, obſequia præſtare, Mazarino ne quidem viſo. Id Regina ſibi ingratum teſtata, eſt, dum frigidè excepit : quod illi in glo-

riam vertit; Paſſim celebratur, quòd dum quiſque ſuum commodum privatim reſpicit, nemo, publicæ ſalutis reminiſcitur. Mazarinus fruſtrà varias init rationes, quibus juvenilem animum ſibi conciliaret, etiam, per vtriuſque parentis, hortamenta. Ille ferox, Monbazoniæ, ad cujus viſum captus erat, conſilijs potiùs obtemperans, omnia reſpuit. Tantum potuit Fœmina ſuadere! Viro abundè ſatisfactum, dummodò Funditor ſtrenuus, non Mazarineus audiret, (per ludibrium ita dicti Regij.) In Vrbe varij motus animorum. Cordatis omnibus, & Aulæ gnaris, magna rerum mutatio præſagiebatur. Et quia Mazarino, tunc maximè, arctata poteſtas; falsæ rerum ſpecies, ſolidis conſilijs, apud eum ſæpe præponderabant. Multi fervere mentibus, quia juſtis præmijs, non ſatis dignè excoli ſe, ſuaque exiſtimabant. Omnis excuſabilis, in multitudine peccantium, audacia, inter tumultus daturos fiduciam.

Sub idem temporis, Michaël Particellus Emerius, dejectus ærarij Præfecturâ, reſti-

tutus Muneri; id Condæo maximè adnitente; siue potentiæ ostentendæ, seu novi tumultûs materiâ, seu memoriâ gratæ operæ sibi navatæ, aut spe navandæ. Plerique in priorem Emerij vitam invecti, in Senatu perorarunt: *Non interpretes libidinis, Parasitos, Symphoniacos, & meretricum greges, instrumenta esse Ministerij: quippe infamiæ & dedecoris plenos, in bello molestos, in pace sumptuosos, omnibus bonis inuisos; accersere nihil, nisi infortunia, & clades.* Emerij autem ædes, eiusmodi strepere humani generis purgamentis. Condæo sterilis, Emerio exitiosa, neutri læta redintegratio fuit. Nam, præterquàm quòd præclaræ indolis oblitus, Particellus, in vitia jamdudum præceps abierat; redux, voluptatum blandientibus illecebris, soluto animo, & corporis robore emollito, Ministerium invidiosum, vitamque relaxatam infelici exitu clausit. Quasi, Regiâ gazâ libidinem afflante, fatalis omnium Præfectorum Ærarij in Venerem pruritus, esset.

Interim furoris contagione sæviebat, in Provinciâ, & Aquitaniâ, eadem Pestis. In

Provinciâ, hic fuit rerum ſtatus. Decretum, per novum pecuniæ aucupium, apud Aquas-Sextias, conſeſſum Curiæ, augere Conſiliarijs, certâ ſummâ, quam quiſque det, ſemeſtri ſpatio partituris juriſdictionem. Hoc antiquis Aſſeſſoribus invidioſum; authoritatem ſic dividi, & ex continuo imperio, temporale fieri. Indè mali labes, quæ exiguis orta primodijs, pœnè in exitium Provinciæ evaſit. Mandata ab Aulâ fuêre; *Furori cedendum: Authoritatem Principis ſemper morâ creſcere, praua Subditorum molimina, ſpatio deſtrui: Semeſtralem nouitatem, ad tempus premendam: ſeditioſos opportunè puniendos: Ad hæc omnia, ſimulatione & taciturnitate opus.* Hoc arcanum ſoli fidei Gubernatoris committitur, qui ſecreti impatiens, vni atque alteri Regia, mandata patefecit; illi alijs: & ſic eundo, vvlgatum myſterium. Cuius loquacitatis poſtmodùm pœnas luit, ipſe Alezius. Nam derepente, Factio vires reſumit; & Curia illa in Mazarinum decernit; tanquam perniciem Provinciæ clam meditantem: iungit ſe Senatui

Parisiensi : Mazarinum eliminandum, Alezium removendum; & similia, quæ furor ministrabat. Alezius, non premit sensus; sed vindictam anhelans, palàm Nobilitatem, sibi amicam, & quoscunque habuit obnoxios, induere arma iubet : quosdam, ex Seditiosis, in carceres compingit; ignarus, non offendendos, quos perdere nequiret. Accessit, quòd à Milite Aleziano, inter iurgandum, vnus ex Curiæ Apparitoribus, trucidatus sit. Inde crevit tumultus; Præsertim quia, dum ad Sebastiani, extrà Vrbem, Sacellum, per festivum diem, procederetur, Rusticus exclamaverat, Portas Vrbis claudi, ne pateret civibus reditus; Alezius, quinque Peditum millibus, quingentis Equitibus, & non exiguâ Nobilium manu, adoritur vicina Oppida, & expugnat. Tandem Aquis-Sextiis, vim admolitur, & ducentos protervè egressos, ad internecionem cædit. Opportunè Edictum Regium affertur, quo omnia præterita, oblivione sanciuntur : & concordiâ restitutâ, quisque redit ad solita munia;

ſemeſtrali vexatione abolitâ in æternum. Sic multa in Provinciâ, variis motibus animorum impedita, Mazarini conſiliis expedita ſunt: reluctantibus fruſtrà Noſtradami vaticiniis, qui ſuis conterraneis, vana prædixiſſe, per eventum contrarium, convictus eſt. [Hîc veterator Segeſterione, Vrbe Provinciæ, natus eſt. Circumferuntur eius Centuriæ, obſcuræ quidem illæ, & nihil certi continentes: quia vel antequàm eveniant, ſperare aut timere; vel cùm evenerint, promiſſa audeas, vera affirmare; Prætertà ita compoſitæ, vt eadem & multa diverſarum rerum eventa, circumflectere, & aptare poſſes. Eæ cùm quotidiè interpolentur, & novis acceſſionibus accreſcant; tamen hominum credulorum tanta eſt inſania, vt quæ non intelligant, vera eſſe contendere, non dubitent; nec in manifesto mendacio deprehenſi, ſe coargui patiantur.

Sed Burdigalenſium Aſtrum cum Pariſino mirè conſentiebat: Nec mirum, Burdigalam non ſapere, inſaniente Lutetiâ. Si quis autem roget, quæ cauſa Aquitaniæ ſerenum,

renum, fœdarit? nulla iusta poterit reperiri. Cogitet quisque apud se, ante omnia, quantum, illius populi inconstantia, turbidis temporibus, sibi assumat: quantum fuerit, & erit, præsentium fastidium, ac innouandi studium, in illâ Vrbe, armigeræ gentis regnatrice; Vbi, Per cœli clementiam, & Bromio lætos colles, tenues opes luxuriantur: viuacibus ingenijs, quibus sine fine pruriunt pugni. Ciuitas procax, cùm foris hostem non habet, domi quærit; ac instar Symplegadum, gaudet allidi. Ergo, apud illam, Senatûs Parisiensis acta, magnificè narrari; ejus virtutem extolli: hinc libido eadem patrandi. Non deerant & illic feminæ æmulæ Parisinis, non minus, per libidines exercitæ. Opus tantùm personam concinnare; in quam vires frangeret, jam mente accensa Factio.

Espernonius, qui nomine Gubernatoris Aquitaniæ præerat, visus idoneus, qui Pila fieret. *Damnatur illius superbia, cum auaritiâ conjunctâ: consessus illius Curiæ, Viri Placita, destinatis sententijs respuit. Apud Regem, que-*

relis criminatur, tanquam infestum, & Aquitaniæ perniciem meditantem. Omnem Seueritatem, ab ejus ambitione; qui per Burdigalæ seruitutem, nescio quod Imperium sibi moliretur. Turpem ab eo fieri frumenti nundinationem; quod diuenditum & extractum, annonam arctabat, cæteroquin laxam in ijs locis. Etiam de nouo vectigali, in vnumquemque vini cadum cogitare. Ad Liburnum, Munimentum exstruere, quasi compedes Burdigalæ injecturum; quam exarmare decreuerat, & ex Arce Trompetanâ, tormentis ex Ha veteri Castello eò aduectis, Vrbem innocentem conuellere.

Et vvlgus hæc audiebat, quia oderat. Oderat autem, quia tum, per malignum Sydus, eum odisse, expediebat, vt invidiosa tempestas in caput quodlibet, dum aliquod, desæviret. Ille, vt erat ingenio elato, præfidentique, facilè minas ac conspirationes contemnere, aut se contemnere, simulare: ne videretur posse deprimi in Vrbe, vbi per Patris audentiam, coalita credebatur, Espernonianæ Domûs, æterna potentia. Maximè conspicui secessionis Duces, Muratus,

Piconus, ſed ſupra omnes Daſius; & ſumma caputque rerum, Advocatus Regius, Lavieus, homo apud eos primarius.

Initur non vna ratio ſtabiliendæ pacis: cuncta impetu Factionis, in præceps abripiuntur. Eſpernonius, etſi Regio milite & clientibus validus, vrbe ceſſit, ne Majeſtas regia in perſonâ Præſidis, violata videretur. Burdigalenſes, terrâ marique militem ſcribunt, implentur cohortes ſubito tyrone. Iuventus omnis ſpecioſo militiæ nomine triumphat. Quiſque pravo potiùs, quàm nullo facinore optat nobilitari. Vtrinque hoſtilia. *Eſpernonium, cauſam mali, amouendum: hoc vnicum remedium, cætera inania.*

Mazarinus contrà obnititur: nunquam indultum ejuſmodi poſtulatis, niſi maximo damno: Exemplum eſſe periculoſum: non finem, ſed gradum ſeditionis. Indè Condæum majores animos aſſumpturum; cui curæ eſſe, Burdigalenſes demereri, non vno indicio patebat: Nec fortunæ defuturum, ſi ſe occaſio offerret.

Hæc dum Burdigalæ geruntur, ſcinditur

Aula in ſtudia contraria, non vno obtentu. Regina ſemper tenax, in tuendo Mazarino, quem vnicum Regis commodis ſtudere, ac ſuſtentare authoritatem vndiquaque concuſſam, manifeſtum erat; in cujuſcunque autem animo, virtus ineſſet, ei plurimum eſſe tribuendum, & quod vſu optimum intelligeret, id in tutelam ſecuritatis retinendum, æſtimabat. *Bono autem publico, aduerſum apertè Condæum, compeſcendum; amputanda illi omnia, quibus fretus ſe altiùs attolleret: ideò proſpiciendum Eſpernonio: ne refractarijs ſuccumberet; ac poſteà, tanti in omnes partes momenti, Aquitania, ſoli Condæo obnoxia videretur. Prouinciales vindictæ Alezij non relinquendos, qui Condæo conſobrino, ſe adjungeret, proſtrata rebellione, ſuperbus. Aurelianum, per Riuerianum Abbatem, qui ſpe Purpuræ demulcebatur, in Regias partes trahendum, & retinendum: Beaufortium, per MonbaZoniam, pretio occupandum: Corinthium, per Cheureuſiam variâ ſpe illiciendum: Senatum quacunque ratione in officio continendum: malè feriatis & turbidis offam obijciendam, qua quieſcerent: cunctos ſpe,*

promiſſis, re ipsa pelliciendos. Jdque per biennium, quo interuallo, non poterat Rex per ſe imperare, nec Regni, nec ætatis leges perrumpere. Hæc erat mens Reginæ, quæ per medios æſtus mirum quàm animo tranquillo omnia evoluerit, Sanctiſſimis conſilijs Numine præſidente.

Aurelianus, cui nihil, niſi inſinuatum, tum per vxorem, quæ filiam Regi nupturam, ſibi perſuaſerat; tum impulſu Riveriani, per Aulæ gratiam, purpuram exſpectantis; Reginæ adhærere decreverat: vel maximè vt Condæo in contraria verſo obſiſteret. Condæus, Contius, ac Longavillæus; cujus Conjux, Condæorum ſoror, etiam ſuas Aſſeclas habebat: etſi ad cætera diſcordes, in hoc conveniebant: *MaZarinum nolle ablatum, ſed imminutum, vt ſuis poſtulatis, quæ non exigua erant, obſecundaret. Et ne nimis altùm ſubuolaret, alas circumcidendas, ac obſtandum incrementis inuidioſæ potentiæ; memoria Richelianæ ſeruitutis.*

Sine dubio Mazarinus, tales habiturus erat ſibi obnoxios, dummodò, non indo-

cilis ferre eorum jugum, aliquid remitteret de illâ erga Regem ſolicitâ fide; in cujus inoffenſo tenore, contra omnes conſpirationes & minas, intrepidus perſeveravit.

Beaufortio & Corinthio propoſitum, formidandam potentiam adipiſci, & fieri rerum momenta; vt quoquò inclinarent, eò vergerent Lancis pondera: Præſertim Corinthio, ſuorum memori, qui in Galliâ rebus moderati erant. Fovere igitur turbas, præcipuè apud Burdigalenſes, ac eò tandem Reginam velle adigere, vt cogeretur ejerare Mazarinum, & ipſum Corinthium aut Caſtellonovum ſupremæ curæ admovere.

Interim miſera Aquitania, à quietis conſilijs ſemper abhorrens, inteſtino furore lacerebatur. Nec impetus iræ, in Eſpernonium elanguebat. In ſe invicem omni clade ſæviebant: prædæque ex finitimis agris, velut ex Hiſpanico & hoſtico ſolo, per Regium militem agebantur. Burdigalenſes, populantes reprimere, interdum ipſi populatores: ſæpè feliciter, ſemper fortiter confligere; etſi non vno Duce temerarium vul-

gus regeretur. Quàm inexpiabile odium fuerit, hinc discas, quòd per vicina Vrbi loca, in Castellis, obsessi Rustici, cremari vivi elegerint, potiùs, quàm, per deditionem in Regiorum manus, pervenire. Quicunque, per moderationem, secum cogitabant. quantum facinus admitteretur; Patriæ hostes judicati; & Vrbe pulsi sunt. Semina belli jaciebant Literæ à Senatu Parisiensi, qui Curiæ Burdigalensis, consessui omnia pollicebatur. Tolosa intacta semper pernitiosis consilijs, rogata de Vnione, fortiter negare, promissâ tantùm operâ, quâ se tanquam pararia, immiseret pacificationi; Id Candalio etiam approbante. Sed hæc omnia vana: nec facile erat homines pugnandi cupidos, & factionis suæ firmitatem ostentantes, dirimere. Nec ampliùs sententijs, sed armis certabatur. Argensonius illuc à Rege delegatur, qui post varia tentamenta, cùm in portum omnia se perduxisse existimaret, novis fluctibus in mare relatus est. Non longiusculus ero, nec immorabor in hoc seditioso barathro; cùm

plerique hæc omnia per vanitatem, minis verbosè, persecuti sint.

Argensonius Espernonium, apud Cadiliacum (amœna ædes Espernoniorum est) primùm inviserat; etsi hoc Burdigalæ ingratum. Ibi collatis sermonibus; summa rerum hæc fuit: In Arcem Trompetanam, immittendam annonam, cuius inopiâ laborabat. [Burdigalenses ita acriter circumsederant, vt nihil invehi posset.] Munimentum, Liburni ceptum, ad culmen perducendum, inde seminarium discessionis, & malorum omnium, quæ deinde secuta, occasio fuit. Argensonius inter infesta signa, hinc, & illinc cursitans, vtrosque invicem rogabat, *vt domum redirent*; *nec spem rerum componendarum, nimis calidis consilijs infringerent*. Illi, promittere, *se velle Regi obsequi*; Espernonius, *se nihil aliud, quàm Prouinciæ tranquillę statum deposcere* asserebat: Hæc omnia falsò. Assentiente tamen vtrâque Parte, ita fœdera perscripta sunt, *Vt neuter præteritas exsequeretur injurias, neuter suos ad pugnam concitaret, neuter dolo malo in pacificationis leges, peccaret*;

caret; vt ciuium militumque jurgia tollerentur, quę inuitis Primoribus, vt plurimùm exardeſcunt.

Burdigalenſes in mitiora conſilia lapſi, ſe intrà præſcriptas formulas tenuerunt: & in Arcem Trompetanam, vt pactum, farina advectata eſt. Eſpernonius præſenti rerum ſtatui, abundè conſuluiſſe rebatur, dummodo Arx Trompetana non caperetur, & Liburni Munimentum, Burdigalenſibus frenum exſtrueretur. Ideò curat opus accelerari, militem, ac duo tormenta, cum vi nitrati pulveris, & globis, immitti. Vndè ſeneſcentis Factionis recruduit impetus. Nec à rumoribus Argenſonius intactus: vt Eſpernonio addictus, Burdigalæ hoſtis palàm proclamatus. Nunquam animis acriùs ſævitum eſt. Eſt hoc notatu dignum, quòd ſicuti in Senatu Pariſienſi, torrente Iuventutis, venerabiles Senes, abripiebantur: in Burdigalenſi, Seniorum conſeſſus, Iuvenes in præceps rapiebat, prava docens inire rationis elementa. Eſpernonius ſecurus Trompetani Caſtelli, quod extrà anguſtias anno-

næ erat; animos suorum, exiguâ quidem re, sed magnis pollicitationibus, sustentabat; Nec tam studere videbatur, vt Rex vinceret, quàm ne ipse vinceretur, nullis pactis stare, decreverat, sed à Patre superbiam vsurpans, occulta vltionis consilia meditabatur. Non dubitandum, quin tunc omnia pacata, nisi illi sublesta fides.

Intereà Argensonio, ac filio, manifestum periculum à plebe imminebat; frustrà Archiepiscopo allaborante: cujus ex ædibus, vt parùm tutis, exiens, Hâ, veteri Castello, se inclusit, vel vitandæ injuriæ; vel tanquam obses; Vt-vt sit, coactus illic codicillum ad Gubernatorem Liburnensem exarare, quo jubebatur, *inuidiosas exstructiones solo æquare*. Etsi Argensonius (vana, vt par erat, hæc judicaret, qui nihil juris haberet, in Præfectum Liburnicum, tamen placandæ seditioni, hoc fecit, temporario remedio, iras vehementius exarsuras, tantillùm leniturus. Filius Argensonij Liburnum advehitur, mandata Patris secum ferens, quibus non obtemperatum. Sed Ar-

gensonius quoquomodo liberatus, Espernonio statim adfuit, qui se operam daturum promisit, vt brevi moles Liburnica à fundamentis, everteretur.

Burdigalenses omnis moræ impatientes, nec Espernonianæ fidei satis certi, refectis viribus sese in armis ostentant; & quidquid copiarum possunt, ad speciem multitudinis augendam, Vrbe educunt. Septem millia armatorum, in acie statuta fuisse, comperio. Liburnum versùs iter intendunt; & non procul ab oppido, Castra posuêre, nullo vallo constructo;

Espernonius, lætabundus, quòd optatæ pugnæ sibi copia daretur, cum Factione, non ampliùs muris tutâ, sed in vastâ planitie expositâ; Regium militem, ac suum, cum Nobilium manu, rectâ ducit ad Rebelles. Levia certamina primò conserta, variâ fortunâ. Pro Espernonio erat virtus militum; Pro Factiosis numerus; qui parùm profuit: Nam impressione ex arte factâ, Collectitia manus militiæ, fusa, fugatáque est: pars cæsi, pars Dordoniæ vorticibus

absorpti. Ductor Chambaretus, strenuè dimicans, oppetijt; captivi abducti ad Espernonium: qui victoriæ non satis moderans, ingentes animos assumpsit; ac Burdigalæ appropinquans, Gravæ ad secundum lapidem substitit. Ibi Archiepiscopus, ac selecti Cives, blandâ allocutione, cum eo egerunt, de obsequio, & fide Vrbis, ad quam invitabatur.

Espernonius, ad id multùm impellente Argensonio, Vrbem decernit intrare, dummodò pro dignitate, ex decore exciperetur. Consentiunt Cives; non Curia, quæ aliena semper extitit, ab omni cum Espernonio pactione, vt intutâ. Amotis igitur Platearum repagulis, Lusigniaco; qui Chambareti nuper occisi, partes obibat, cum milite, Vrbe exacto; Espernonius omnia reperit obnoxia. Nusquam spes certior affulsit compositi motûs. Mutuò Fatis videbantur irasci, quæ hanc fecissent odiorum necessitatem. Espernonius, Burdigalæ, per speciem placati animi, aliquot dies tantùm immoratus, Cadiliacum concessit; vindictæ potius, quàm

tranquillitati incumbens. Quòd ſi diutius apud procaces, iræ tamen tractabiles, divertiſſet; redibant omnes ad obſequium. Sed ſicuti irrequietæ gentis indoli, multa mala imputanda, majora Eſpernonij arrogantiæ: in cujus adyta penetrans Factio, exulceratum per vltionem pectus, facilè introſpexit.

Eſpernonius, extrà Burdigalæ procellas, ex ſuo Cadiliaco, Argenſonium juvenem delegavit in Aulam, quæ tunc Ambiani erat, fusè omnia expoſiturum: *vt populo parceretur; ſed Senatus, interdictione plecteretur.* Dum per ſex ſeptimanas in Regio Conſilio deliberatur, creſcit Factio morâ. [A multis retrò ſeculis notatum, apud Gallos ſalubria lentè, noxia incredibili celeritate expediri.] Aula Eſpernonii ſucceſſibus læta, facilè eius conſilium amplectitur, miſſo Guitaldo Comingio, cum duobus Apparitoribus, Catenâ inſignitis, qui nomine Regis, omni iuriſdictione conſeſſum Curiæ Burdigalenſis, privaret.

Eſpernonius, Argenſonius, & Guitaldus,

Palatium intrant, rem de quâ acturi venerant, clam apud se continentes : sed vt Factionis, pervigil animus, quod timet, esse putat; facilè res illi suboluit. Igitur Curiæ negatus ingressus. Viam vi facere aggreditur, per suos Espernonius : quod infeliciter cessit ; Nam Vvlgus, sive sponte suâ, sive impulsu alieno, subitò exarsit; & ad arma conclamatum passim per plateas.

Satius visum Espernonio imminentia pericula discessu prævertere ; In suum Puipaulinum, postmodùm etiam Cadiliacum, vrbe relictâ se recepit; tandem Aginnum Nitiobrigum, vbi inter deformes moras vindictæ meditamenta moliebatur. Vix possim verbis æquare, quibus laceratus probris, quibus petitus contumelijs, Burdigalâ discesserit. Crudeliter exercitis inimicitiis, omnia plebeiæ iræ piacula expertus. Nonnulli clam miserebantur, inani favore. Certè apparuit clarè, veritas illius Sciti; *Dignitatem virtute destitutam, breui momento euanescere.* Comingius conatus res restituere ; operam perdidit. Argensonius, prudens ve-

riam discedendi impetraverat, nullam na-ctus opportunam benè agendi occasionem. Non ampliùs Factio secum ipsa discors, variis sententiis distrahitur: Vnitum Corpus Curiæ & Vrbis, non cessat ea comminisci, quibus omnis infamia in Espernonium derivaretur; qui Agenni, apud mensæ Asseclas, epulis instabilem gratiam colligebat. Modò splendidè agere; modò exiguæ pecuniæ parcere; in tantâ famæ prodigalitate.

Perlatâ, ad Aulam, tam notabili rerum mutatione, decretum quocunque modo novum tumultum sedare; & Sylvanecti detentis Burdigalensibus Delegatis, libertatem indulgere; ac Domum remittere, vt omnia honesta nomine Regis consessui & ciuibus pollicerentur, dum modo ad bonam frugem seriò redirent.

Intereà Guionetus, fessus militiæ, (præerat ille Burdigalensi militi,) in gratiam Saubeuvij, se suo munere abdicat. Illud primùm Bullioneo obtulerat, qui Condæo statim rem aperuit. Saubeuvius, multitudini acceptus, captabat rerum novarum oc-

casiones, quò inclarescceret. Vir non aspernabilis, partes olim Aureliani cum Mommorantio secutus; hinc Ducis Parmensis copiarum Ductor. Sub hujus igitur Saubeuvij auspicijs, novi belli fiunt apparatus, non terrestres solùm, sed maritimi. Conflantur navigia varij generis, quibus Burdigalenses tota Garumna jura darent.

Hæc in Aulâ audita augebant curas Mazarini, qui in solâ Espernonij abdicatione, malorum prævidebat remedium: non poterat autem revocari, nisi in ejus locum suffecto Condæo; in quem tota Factio inhiabat, aptum præsenti statui rerum. Ideò Mazarinus, vt jam dictum, eò non poterat adigi: graviora ex effuso in Condæum affectu, quàm ex odio in Espernonium, meritò metuens. Cogitatum de Aureliano, qui tantam dignationem secum ferens, sedaret derepente tumultus. Aureliano ingrata fuit legatio, sive de eventu dubitanti, sive per innatum quietis amorem. Imò agitatum, an Rex ipse, eò majestatem conferret. Parisinæ res præsentem Regem deposcebant.

cebant. Tandem difficilem hanc prouinciam Pralinus Plessæus, sortitus est.

Hic non Burdigalam, ne Espernonium, nec Cadiliacum, ne Burdigalenses offenderet, se contulit: sed Lormontii substitit, vbi collatis sermonibus cum Delegatis tum ab Vrbe, tum à Senatu, conatur pristinam tranquillitam Ciuitati & Aquitaniæ restituere. Tunc obsidebatur Trompetanum Munimentum, à cuius oppugnatione, vt remoueret Burdigalenses, impetrare non potuit: immò, quò plus institit intempestiuæ rogationi, eò acrius vrgebatur obsidio; quæ tandem cum euentum habuit, quem infrà memorabimus. Colloquii exitus fuit; *Amouendum Espernonium, aut extrema exspectanda, ab vrbe Commotâ:* Et cùm temperata loqueretur Pralinus, à plerisque exsibilatus, & Argensonius per contumeliam appellatus, tanquam eius vestigiis inhæreret.

Lauieus in Aulam redit, Patriæ casus, suosque narraturus, *nec Senatum, nec Burdegalam detrectare obsequium, fidem præstare para-*

tos Ciues, dummodò Espernonio non parerent, quem offendiculi Petram, nuncupabant. Lauieus, operam suam apud Regium Consilium pollicebatur; Burdigalæ cùm esset, facta promissis, non respondebant. Certum est, insinuasse semper, consilia turbida, & à quiete aliena, & Condæum imprimis, solicitasse, ne Burdigalæ, in tanto rerum cardine, deesset, patrocinium afflictæ Vrbis susciperet, quæ Assertorem eum, & vindicem, suæ libertatis eligebat. Ille Lauieum bonum animum habere, jubet; se cum illis omnem fortunam subiturum, Quæ posteà Lavieus redux, splendidiora, retulit, vt in spem suos erigeret, ac pollicitationibus vanis incrementa daret Factioni, cujus semper ipse, pars magna fuit.

Candalio, per fidum amicum, Condæum, roganti, *ne fauendo turbæ turbulentæ, Espernonianæ Domui infensum se præbaret*; respondisse Principem ferunt, *effecturum se omnia, in Espernoniorum gratiam, dummodò de eorum operâ & fide securus esset, quòcunque res vergerent.* Candalius, hæc in detrimentum fidei soli

Regi debitæ, meritò accipiens, tanti non putavit, Condæum emere. Hæc rescita, & Burdigalam perlata, omnem de Condæo spem excutere facilè poterant, nisi indomita rabies, miseros cives, occæcasset; qui etsi multoties moniti, nihil exspectandum à Condæo, in eo nihilominùs fiduciam rerum suarum semper collocarunt. Tam facile & pronum, quâlibet larvâ, populos fascinare! Interim Trompetana Arx rerum omnium inopiâ circumuenta, non poterat ampliùs spe auxilij sustentari: vndè factum, vt, vrgente fame, boves nescio quot circa palabundos, ad se adegerint Præsidiarij. Quod illis non in subsidium, sed in exitium vertit: nam illicò circumsessum Castellum, impetitur omni telorum genere. Præsidiarij tormenta laxant; vndique hostilitas aperta. Saubeuvius, cum Lusignano, loca adjacentia, vndè munimento in extremis laboranti, poterat succurri, milite firmant, & eo ipsa Fana implent. Podensacum, & Insulam Sancti Georgij occupant: Sæviunt in prædia & villas,

eorum, qui aggregari Factioni, per moderationem recusabant.

Espernonius, quantâ mole virium potuit, ex adversâ ripâ, ostentare obsessis spem irritam: nam cùm vlteriùs progredi non tutum putasset; retrocessit. Vndè obsessi, ad octoginta semilaceros redacti, in vltimam desperationem conjecti sunt; turribus dirutis, cibarijs consumptis, aquis vitio corruptis. Post bimestrem defensationem, Haulmontius, qui præerat, Arcem Saubeuvio dedidit; vsum vitæ solummodò sibi, & militi residuo, deprecatus, cæteris vindictæ & ludibrio relictis. Statim plebes lymphata involat deformati Castelli rudera, & parietinas: Espernonij pretiosa supellex, illic tanquam in tuto deposita, publicâ licitatione, vili pretio divenditur. Tormenta in Vrbis Palatium advehuntur, plaudente non populo tantùm, sed Primoribus, ad publicum gaudium, vnumquemque citantibus. Passim per plateas invocabatur lætitia. Faiardus Consiliarius inter cæteros conspicuus, divaricatis cruribus Tormento ine-

quitabat, hederâ & pampino tempora incinctus, thyrſigeri Bacchi inverecundâ aſſimilatione; ac vinum propinans, vnicuique miniſtrabat. Burdigalenſes validis excurſionibus latè omnia populantur. Quatuor mille pedites, (transfugæ plerorique erant è Regijs copijs;) mille octingenti Equites ſub ſignis rebellibus. Pondeſaco capto, minantur Cadiliaco excidium; ſed fruſtrà, inerat enim flos Eſpernoniarum virium. Langonem tormentis quatiunt; invadunt San Macarium: vicina oppida eandem fortunam ſequuntur. Tunc Dognonus Broüagii Gubernator, Garumnam intrat octo navibus bellicis, incendiariis plurimis, ac minoribus navigiis non paucis, experto milite repletis; & ad Rupem Lormontiam exſcendit. Saubeuvius cum Girarto aggreditur, tanto impetu vt miles Regius coactus ſit naves aſcendere, tormentis ægrè ſervatis. Hinc variâ fortunâ certatum. Burdigalenſes cedere coacti, ob adventantia vndique pro Rege auxilia, quæ ſola ſuaſere ſalubria.

De Pace igitur actum seriò, Alvimarus attulerat conditiones, quas Pralinus attemperavit; assuetus domi militiæque rebus, prudenter moderari; Illâ initâ, repente motus animorum, & tanta certamina compressa quievêre, per hæc pacta. *Trompetanam Arcem eo statu quo erat, remansuram, destructam scilicet, ad Regiam vsque pubertatem, quæ majoritas Gallis dicitur. Tributa publica imminuenda: præsertim, scutatos binos abolendos, vnicuique Cado vini, qui vrbe extrahebatur, impositos; Consulibus, cujusque municipij, prouocandi ad Curiam Burdigalensem, factam liberam potestatem.* Hæc omnia exigua quidem, sed si negarentur, peribat forsan Burdigala: prudentia Aulæ indulsit postulatis.

Nec ideò quievit eorum factio, qui ex publicis malis privatim sibi consulebant, aut rebantur consulere. Ex talibns Mottadelasius, Madritum fuerat delegatus, auxilium contra vim Regiam, & Espernonianam tyrannidem postulaturus. In Consilio Hispanico certatum sententijs: quarum hæc potior visa, vt *Vatteuillæus*, *Guipuscoæ prouin-*

ciæ Præfectus, Burdigalam ipse se conferret cuncta visurus, & anquisiturus, quali fundamento, Hispanica prouidentia inædificaret. A Sancto Sebastiano soluit Vattevillæus, & secundâ navigatione Burdigalam appellit, post promulgatam Pacem paucissimis diebus. Ille palàm, stipatus Hispanico comitatu, publicis Cœtibus intererat, multùm Pralino obstrepente, sed frustrà : nam omnis ætas, sexus, ordo in Hispanica inclinabat. Nec armorum illa remissio, sed transitus ad improbiora videbatur. In Espernonium nullus contumeliarum finis. Pulsi in exilium ob moderata consilia, non admittuntur. In Villamonteum, qui nomine Regis illuc advenerat, fit impetus. Rheda laceratur : & ni diuertisset Liburnum, Aginno rediens, non parcebatur homini cordato. Pecuniæ Regiæ injiciuntur manus ; & debita, ad sumptus belli seditiosi conflata, expunguntur. Sic cinis dolosus impositus igni, per flammas brevi erupturo. Hæc satis superque de Burdigalâ : vbi à vi quidem & armis quies erat ; sed pax infida ; & animis

adhuc tumescentibus, non occulta indignatio, malum aliquod inopinatum parturire videbatur.

Interim Riverianus Abbas, in Purpuram suam intentus, quasi de eâ solâ ageretur, distinebat Aulæ curas. Quid autem difficilius, quàm eam adipisci, Mazarino invito; qui etsi omnia officia ei polliceretur, per mira automata, in animo Pontificis evertebat, quæ maximè vrgere videbatur? Riverianus in ejusmodi nunquam penetravit, aut non penetrare visus est. Gratulationes admisit, tanquam certus dignitatis, de quâ, nullus prærer eum cogitavit, ne murice quidem nato, cujus sanguine vellus Cardinalitium tingeretur. Inter Ministros tamen, vt vvlgò loquimur, ascitus: lentæ Purpuræ solamen; atque vt Aurelianus, retraheretur in Aulam, relicto Limourio suo, quò Ducem Riverianus deduxerat, iram, illi pro libidine affingens: qui graviora minabatur, vt de secessu Oxitanico, ni promissa Riveriano, implerentur.

Contius eodem momento palàm testatur,

tur, decretum omninò se sacris addicere, & galerum à Pontifice petere: rogare Reginam, vt efficaciter intercedat; sive animo negotium Reginæ facessendi, sive sororis Longavilleæ, & Rupifoucaldij, hæ fuerint artes, Riverianum, sibi devinciendi; si cederet. Hæc omnia distrahebant, miserè Aulam. Atque in his præsertim, industria Mazarini, apparebat, quòd tot nascentes difficultates, tam concinnè dirimeret.

Causa omnium discessionum, Condæus, qui ad omnia momenta Mazarinum impetebat. Quamuis assensisset Mercuriani nuptijs, eas subinde turbare; Vandomium splendidis promissis, sibi conciliare: daturum operam, vt Præfecturam maris, obtineret, etiam neglectâ illâ affinitate inæquali, & Principe, è Regio sanguine indignâ. Candalium, qui Neptem alteram Mazarini ambibat, etiam in suas partes pertrahere, vt à matrimonio auerteret; Burdigalenses hortari, ne ab Espernonij abdicatione quicquam remitterent. Candalij conjugium non poterat contrahi, nisi Esper-

nonio in Præfecturam Aquitaniæ asserto, & domitis Burdigalensibus; quibus in Regio Consilio apertè Condæus fauebat: contrà verò, Prouinciales seuerè castigandos contendebat, & Alezium Comitem, consobrinum suum, in causâ justâ non deserendum. Ac cùm nihil æquè Vandomium, ab affinitate posset amouere, quàm repulsa Præfecturæ maris: Condæus socerum Brezeum impellere, vt pro se, Amiralatum peteret; tanquam pecunia, jam eo nomine concessa, non satis superque orbitatem solaretur. Inducit eundem fato jam vicinum, vt Præfecturam Andegavensem, Chaboto Rohanio, suo clienti, venderet; vt sic mortuo socero, de illâ Provinciâ, pro nutu statueret.

Cùm multis indicijs, Condæus non modica spirare, probaretur; mira res, arcana aulæ rimantibus, visa, quòd Funditoribus non seriò incubuerit. Maximè ex quo, Compendio, Lutetiam venit, omnium animis in se conversis; Reverà tunc, si vnquam, Arbiter fortunæ, rerum apicem manu contingebat: ac nihil deesse ad summam po-

tentiam videbatur, quàm Funditores ſibi adjungere; quorum oſtentu Senatui & Vrbi dominaretur. Per Exercitus, per Provincias ſolus tunc oſtentatus; Neglexit opportunitatem Princeps, ſive dubius fidei Funditorum; ſive efficaci indole, technas averſaretur, nec tanto circuitu vtendum æſtimaret; fraudis, ſicut & omnium periculorum, contemptor. Ingens animus, ſpreto Mazarino, & Corinthio, ab eventu rerum omnia ſperare, quas niſi in ſua commoda, verti non poſſe, rebatur. Corinthius, qui ſe aptum cuicunque fortunæ, reputabat, ac facilè Dux erat Partium, clam Mazarinum, palàm Condæum ambire; animo, vnum, per alterum opprimendi, vt ſummæ rerum tandem moderaretur. Mazarinus, qui ſolertiùs quàm vllus mortalium, in adyta illa penetravit, dextro modo artes Corinthias eludere; ita tamen, vt ignarus earum videretur. Corinthio ſubolebat aſtutia Mazarinea: ideò de Condæo ſibi iungendo, ſeriò cogitavit, vt ejus operâ Mazarinum deſtrueret; quò faciliùs poſteà, ad ipſius Con-

dæi exitium, graſſaretur. Et in hoc non damnandus Condæus; qui, quidquid fuit, Corinthium ſuſpectum habuit, etiam magna pollicitum. Dùm ſibi invicem triumviratus, ruinam parat, tranquilla nihilominus, vibebatur Aulæ facies; cùm derepente, fictum ſerenum fœdatur, & vertitur in tempeſtatem.

Exigua res fuit. Quatuor millia Rothomago diſtat, neſcio quod, nugatorium Munimentum, quod ponte fornicato, Sequanam jungit, & Pons indè Arcarum, vvlgò appellatur: aptum exactioni miſeri tributi, in navigia, & Lembos, qui vel ſecundo flumine decurrunt, vel adverſo, remigiis, aut funalidus equis, ſubiguntur. Cùm apud Sanctum Germanum, pacificatio iniretur, hanc arcem Longavillæus ſibi promiſſam contendebat; idque per Condæum, qui à Mazarino, in gratiam affinis Longavillæi, rem petierat. [Hoc habuir in more poſitum Cardinalis, vt cùm ægrè negaret, importunis petitionibus, aſſenſum, aut nutu, aut ambiguis verbis, vt plurimùm præberet; quæ

poſteà tempore opportuno, clariùs explicabat. Hactenùs ſe à moleſtiâ redimens. Quoties remotis ambagibus, apertè promiſit, nunquam claro verbo, fides abfuit. Sed, tam turbido ſtatu, vnuſquiſque vel leves nutus Mazarini, pro promiſſis interpretabatur. Vndè non vna ſpecies malorum: donec rerum, non litigiosè potitus, docuit Gallos animi ſui ſenſa rectè intelligere.] Igitur Condæus illud Pontarcium exigit, tanquam ſibi promiſſum: rogat Mazarinus ſpatium. Longavillæus vrget Condæum, Condæus Mazarinum. Commoda hæc occaſio, diſcedere cupido. Longavillæi, Res tantilla non intererat; quam tantùm aſſequi optabat, vt per Neuſtriam increbreſceret rumor, nihil in Galliâ fuiſſe vnquam turbatum, vndè aliquid commodi non corraderet. Cæterùm, res illi nullius momenti, niſi vt miſeri alicuius Clientis fortunam ſublevaret. Condæus, ſe palàm Mazarino infenſum profitetur; nunquam Regi adfuturum, nec in Aulâ, quandiù ille peregrinus rebus Gallicis præſideret. Con-

cursus fit ad Condæi ædes, omnium Procerum; pro genio gentis, properantis semper ad nova. Circa Mazarini stationes, in Palatio Regio, latè solitudo. De immedicabili divortio nullus dubitavit. Funditores gaudere; nec tamen, primo die, societatem cum Principe inire: cui nonnihil molestiæ attulerat, rogari velle. Per sororem igitur Longavillæam, eos allicit. Non arduum negotium: cum dissidio, nihil Beaufortio & Corinthio commodius, posset contingere; qui junctis cum Condæo viribus, facilè Mazarinum se eversuros, reputabant. Funditorum principes, lætus Princeps admisit; fortem operam se daturum promittens, vt tempore oportuno, benè cumulatam gratiam referret. Mutuis vtrinque pollicitationibus, se invicem ligant; Quæ statim ad Mazarinum perlata sunt, per Chabotum, arcanorum æternum æruscatorem. Certum hoc, Beaufortium & Corinthium hactenùs fidem Principi obligasse, vt expelleretur Mazarinus; nec, etiam enervis, & semilacer in ministerio permaneret. Non

talis Condæi animus erat, qui fractum & mutilum, non extinctum, nec expulſum, volebat Cardinalem, Ergo penetratâ Funditorum mente, conſultius putavit, Mazarinum, quàm illos ſibi devincire. Sic iræ moderans, & tractabilis factus, intrà paucos dies paſſus eſt ſe flecti, à Mazarino; Cujus tunc primum, pectus ſubiit firmum & immotum propoſitum, de Condæo in carcerem compingendo; à quo nihil exſpectandum ampliùs, quàm imperioſa vivendi ratio; quâ primum Miniſtrum ſub legibus ſuis, (tanquam non ſervum, ſed compede vinctum ergaſtularium,) ſibi obnoxium, & ad omnia devinctum haberet: quod Probroſum Regi ac Reginæ, non poterat Cardinalis concoquere. Ad hoc, opus taciturnitate & ſolertiâ. Imprimis Aurelianum conſcientiâ illigandum; & Funditores ſibi quoquo modo parandos. Sed antequam totam hanc rerum ſeriem evolvamus, quædam reſtant expedienda. Ante omnia, Mazarinus Condæum placat, ad humilima quæque devolutus. Pons Arcarum, Longavillæo intrà

bimeſter promittitur, Aureliano fidejuſſore. Alia etiam conceſſa, quæ non ſunt hujus loci. Elatus Condæus proſpero ſucceſſu, ejuſmodi rationem ineundam, in poſterum exiſtimat, vt aliquid extorqueatur; à Mazarino timendo, niſi timeat. Per Condæanos aſſeclas jactatur paſſim, Principem veram viam inveniſſe, imperiosè agendo.

Dux Richelianus, ex ſorore magni Armandi nepos, cùm ſpe connubij, cum Chevreuſiæ natâ, excidiſſet; & apud Longavillæam, ob repulſam, dolorem juveniliter teſtaretur: illa captandam occaſionem rata amicæ gratificandi, obtruſit mœrenti, Catharinam Pouſſartam, Vigénam, Marchionis Pontiaci Albretani viduam, formâ non quidem præſtantiſſima, ſed nec abſurdâ. Richelius eius amore tam impotenter repentè exarſit, vt de pactis connubialibus, ſine morâ tranſegerit. Et quoniam hæc Aulæ non poterant, ne quidem facta, probari; conveniunt de loco, nuptialibus celebrandis. Nullus commodior, viſus Triâ; qui Longavillæi Prætorium, quatuordecim milliaribus ab vrbe diſtat. Res non Lon-

Longavillæo, ſed ſoli Condæo, aperitur; qui amantes Triam ipſe deduxit, & præſens omnia ſancivit: nullâ habitâ ratione, neque Cardinalis, qui vnam ex Neptibus Richeliano deſtinaverat; neque Longavillæi, qui ſe meritò offenſum crederet: ſed, quod præcipuum, ſpreto more, qui pro lege obtinet, ne vllus Procerum matrimonium contrahat, niſi per ſpeciem honoris, priùs Regem conſulverit. Ego Mazarinum adij, non nomine Condæi, ſed Longavilleæ, vt eum de totâ re peractâ, certiorem facerem. Ille vultu in ſimulationem compoſito, vt ejus mos, reſpondit; an legitimè matrimonium fuerit contractum necne, hoc à tribunali Iudicum pendere: nec ſuum eſſe, immiſcere ſe negotio, à cujus notitiâ omninò fuerat excluſus: Et cùm Richeliano vnam ex Neptibus ſuis deſtinaſſet, in gratam Avunculi memoriam, *ſibi videri*, ſubridens dixit, *Neptem ſuam, non cedere Catharinæ Pouſſartæ*. Mihi certè non conſtitit; Hominem permotum; vſque adeò vvltûs ſermoniſque potens totâ vitâ fuit! Intùs

tamen, animo exulcerato, quòd Condæanorum moliminum nullus esset finis;

Hinc in deliberatione, de carcere Principis, non solùm perseverat, sed maturare decernit; cùm liquidò constaret, eum sibi sternere gradum ad majora. Interim Longavillæus, contemptûs injuriam non æquo animo ferens; consilium capit, relictâ omni cum Condæo societate, Reginæ & Mazarini arbitrio se totum permittendi. Illo certe patrocinio opus habuit, quò se in libertatem assereret: cùm vxorem non posset ampliùs tolerare, nec in eam explere vindictam, ob Condæum defensorem. A Reginâ, & Mazarino, me, præsente, præteritorum supplex veniam petit; obsequium & fidem adversùs quoscunque pollicitus. Cardinalis fidem Longavillæo non adhibuit: & exitus rectum ejus judicium comprobavit. Nam mater Condæi, concordiæ in familiâ cupida, subodorata dissidium, in cubiculo secretori, generum cum filio ita conciliavit; vt non minùs fidem Longavillæus Condæo promise-

rit, quàm Reginæ & Mazarino pridie fecerat. Quod ſtatim per Chabotum, Mazarino relatum, animum ejus, à Longavillæo planè alienavit : eò magis, quòd eodem tempore Riverianum Abbatem de imminenti periculo monuerat. Grave id Mazarino, qui Riverianum parabat evertere, vt, liberiùs in Condæum graſſaretur. Hactenùs Mazarinus, Longavillæum à ſocietate carceris ſegregaverat : ſed, cùm viri tam dubiam fidem experiretur, pari ruinâ, cum Affini, eum involuere ſtatuit. Redeo ad Richelii Matrimonium ; quod Condæus non promovit, niſi vt ſe rerum potentem oſtentaret, cui fas attollere & deprimere : & vt Havræ Arci præfectum, ſibi redderet obnoxium.

Funditorum Princeps Corinthius, nullâ in re ſegnis, intentus ſemper ad omnia ; Per congruam & opportunam rerum ſcenam, dextro modo fovet turbarum exſurgentem materiem, propter Reditus, qui annuatim perſolvuntur Creditoribus Civitatis ; ideſt ijs qui pecuniam ſuam locant

in Palatio Vrbis, fenore certo, & ſorte ſecurâ, vt qui pro præde, habeant Lutetiam. De annuo illo Reditu, vt malè perſoluto, quiritantibus, quorum intererat; Syndici electi, ſex cives conſpicui, quorum negotium eſſet ſolutionis curæ incumbere. Inter cæteros Præſes Chartonus, Iolius, Bellotus, & Couturius. Cùm autem illa conventicula ſeditionem minarentur: Princeps Senatûs Molæus, blandâ allocutione demulcens Creditorum turbam, (quæ gregatim per Vrbem procedens, meditari ſcelus videbatur,) promiſit ſe annixurum, vt abundè per Senatum illis fieret ſatis. Turba minax, moræ impatiens, & ab ijs ſtimulata, quibus plus factioſi animi, quàm conſilij erat; procaciter loqui: præſertim Couturius, de quo arripiendo mandatum Satellitibus publicis, qui hoc fruſtrà conati ſunt. Hinc variæ muſſitationes. Sed occaſio tumultuandi nulla Seditioſis aptior viſa, quàm ſi quis, Turbonum aut trucidaretur, aut ſaltem plagis impeteretur. Igitur Iolio in Rhedâ, dum ad Chartonum ſe conferret,

inflictum vulnus insanguineum ; laxato sclopo per hominem Subornatum, qui postquàm plumbo amico Rhedam trajecisset, equi beneficio confestim evanuit. Iolius quiritari, non ægrè, sed suâ proditione impetitus : Mactari bonos Cives : hunc esse exitum minarum apud Molæum. Chartonus graviter ferre casum, tanquam eundem formidaret : etsi vterque securus, & ab imminenti, & ab inflicto. Ficta hæc omnia, vt Civitas arma indueret. Funditorum Principes lætari, & vti commode vulnere Iolij, ac fremere, quod viris bonis, pro vtilitate publicâ strenuè operam præbentibus, sic vis inferretur. Quid securum in Vrbe? non ampliùs Lutetiam, sed speluncam sicariorum. Consultant, quisnam assumeret personam publicæ seditionis. Præ cæteris huic operæ idoneus repertus, Eschalartus Laboulaius, apud plebem gratiosus; & qui ob advecta, tempore obsidij, in vrbem alimenta, inclaruerat. Ille igitur voce, gestu, animo, incitare ad arma; hortari vt officinæ clauderentur, catenis plateæ impe-

direntur, ac ejuſmodi Lymphatæ Civitatis molimina exhiberentur. Sive Boulaius præcipitaſſet actum factioſum, ſive bile eâ horâ jecur Civium non ferveret; vbique quies apparuit. [Non eſt omnium horarum illa bellua, nec omni momento Plebi integrum inſanire. Momenta illa elabuntur; nec niſi ad longo ſcelerum vſu, edoctos pertinet; ea captare.] Tumeſcere tamen animi: Vidiſſes globos meditantium nova, inclinato ad veſperam die, in trivijs & angiportis, inter ſe muſſare.

Condæus, poſtquàm Mazarino conciliatus eſt, fidem promiſſam, ita Reginæ ſervavit, vt hoſtem ſe præberet infenſum, & Funditorum, & quorumcunque Turbonum; nihil prius habens, quàm dejicere quicquid contrarium Aulæ: hoc tamen ita, vt Dominus rerum, non Miniſter videretur. Sic eodem tempore & Funditores graviter offendere; & tuendo Regiam authoritatem, eam lædere.

Funditores, antequam Mazarino, in exitium Condæi, ſe, & ſua dederent, tentant,

ſibi potiùs Principem devincere, vt ejus operâ ad evertendum Mazarinum vterentur. Sed cùm Princeps eos frigide excepiſſet, & amotos ante omnia vellet, ſibi non gratos. Tunc Funditores, ſpe omni Condæi acquirendi damnatâ. decernunt Mazarino ſe totos addicere, quam honeſtiſſimis, fieri poſſet, conditionibus; De iis variè mihi relatum, ideo nihil certi ſcribo, quidam aiunt. *Corinthio Galerum Cardinalitium promiſſum; Beaufortio Præfecturam Maris, poſt Parentis mortem, excluſo Mercurio; inſuper pecuniam; vnicuique Funditorum, ad menſuram potentiæ. Aureliani Gnatam Regi vxorem deſpondendam, &c.*

Dum hæc altâ taciturnitate peraguntur, & Condæus ferociorem in Funditorum Principes, ſe præbet; Contigit, aut fabricata eſt nova machina, quâ nulla aptior irritando Principi, & inimicando in Funditores: qui vnicus ſcopus Mazarini; Nam duabus factionibus implacabiliter diviſis, ſine dubio, eius cauſa triumphabat. Igitur, inſigni Reperto, oleum in ignem, iam accenſum, inſtillatur. Monetur Condæus in Regio Pa-

latio, vt ſibi præcaveret; globum eſſe armatorum ad Pontem-novum, quà iter ad Condæanas ædes: illic exſpectari malo animo: igitur abſtinendum ab illâ viâ; per quam tamen, periculi faciundi causâ, Rheda poſſet emitti. Ita factum; Suppoſiti nebulones adoriuntur Rhedam. Trucidant pediſequum, intus forte fortuna incluſum. Princeps qui citra pontem, dormitum iverat apud Balneatorem, monitus de impetu in Rhedam facto, excandeſcit: Invocat jura neglecta, & proculcata. Molæus, Princeps Senatûs, qui ſemper à Condæi partibue ſteterat, cauſam eius ſtrenuè amplectitur. Aurelianus, qui iam alienus à Condæo, adit Senatum, & perſonata officia illi exhibet, lætabundus, quòd Condæus Funditorum Principes accuſaret. Singulis horis Iudices in eius gratiam importunus vrget. Regina & Mazarinus, apertè facinus deteſtari. Mens fuit quorundam, non Mazarinum hoc procuraſſe, ſed ipſum, Condæum, Funditoribus evertendis, quos hâc maxime viâ deſtruere poterat. Alii caſu, id contigiſſe, conſentiens

tiens

tiens vnio, iam facta fuisset, eos hac maximè viâ destruere poterat. Constat tamen, testes vocatos in iudicium, exposuisse, De Condæo trucidando, non semel, sermones occultos, & truncata verba audiuisse. Vt vt sit, securus Mazarinus, dissociationis, maturandum, carcerationis consilium, existimat. Et nescio quo præsagio, quid iam rumusculi percrebescebat, quod absurdum Principi videbatur, qui se intimum Mazzarini, putabat, Cùm præsertim à Telierio, bono esse animo iuberetur, De Aureliano securus, per Riverianum, qui gratiâ iam exciderat, species, & persona rerum. Mazzarino displicuit sparsa suspicio, cui delendæ, Condæum vrget, de Couturio capiendo; Multa ab eo tormentis adacto, posse erui, quibus Funditores pessum-darentur; ad quem scopum, fingebat se collimare; Princeps gratias egit; ac de Cataphractis, & levioris armaturæ Equitibus, Præparandis, suscipit negotium; quoniam Couturiusdegere in ædibus Richelianæ portæ proxi-

mis, referebatur; Illic locavit Equitum alam, Sibi aptans infortunium.

LIBRI QVARTI

FINIS.

BENIAMINI PRIOLI DE REBVS GALLICIS, HISTORIARVM LIBER QVINTVS.

Condæus, Contius, & Longavillæus, Carceri includuntur. Ter eum mutant, anni ſpatio, & alterius menſis. Quid actum interim, in Normandiâ, Burgundiâ, & poſtremùm Aquitaniâ. Quæ diſſidia; Quantum rixarum, ſuper occluſis, aut educendis, aut retentandis; Quibus Pararijs ſequuta liberatio; Per quas tendiculas, exactus eſt ex Galliâ, Mazzarinus, rediturus, regnator.

HAVD imprudenter ſpeculatus Mazzarinus, neminem celerius capi, quam, qui nihil timeret, ſecuritate Condæi, frequentiſſimo calamitatis initio, in occaſionem carcerationis vſus eſt. Primo igitur

paucissimos, mox plures, in societatem Consilij recipit, decretis facta fungit. Tempus constituit. (Id Principi indicatum, etsi pertinaciter inficietur.) Sed prævalebant jam fata Consilijs, omnemque animi aciem præstinxerant, Quippe, ita se res habet, vt quem fortuna oppressura est, ejus corrumpat Consilia, efficiatque, quod est miserrimum, vt quod accidat, meritò accidisse videatur, & Casus in culpam transeat. Negat itaque se credere, spemque in se benevolentiæ, ex merito æstimat. Sed nec diutius, post primum indicem, secundo relictus locus, Nam Mazzarinus, rebus ita compositis, non vltrà differendum ratus, omnia instruit; Beaufortio tandem, totum negotium revelans. Eo certe opus erat, cum tanta auctoritate, apud plebem valeret, vt derepente coortum, si cooriretur, tumultum sedare posset. Primò repugnavit Beaufortius. *Se partam in Vrbe famam, velle seruare, Hanc amissurum, si cessaret odisse Mazzarinum; Ejus odio pollere, Beaufortium, Mazzarineum factum, non amplius Beaufortium, sed inanem*

vmbram; Cum tandem amicitiam Aureliani, Præfecturam Maris, & nescio quid oblatum, quo egebat, apud se perpendisset, manus dedit efficacibus argumentis. Condæus, Tellierij, & Riveriani fide, vt credebat, abunde fretus, rumorum contemptor, apud Senatum, Criminationem in Funditorum principes, persequebatur, Aureliano comitante. Nunquam Regina, Nunquam Mazarinus, tanti ejus Consilia fecere, Nunquam blandius, Nunquam honorificentiùs, exceptus est. Ille sibi plaudere, dolo non penetrato, de quo, præter eum, nemo dubitavit, cum audentiæ, nullus esset finis.

Longavillæus anxius, quod offensum haberet Mazzarinum, virum adit, præstigijs, vt putabat, illusurus, sagacissimo mortalium. Finxit Mazzarinus, se credere omnia, non solùm placatum, sed benevolum se prætens, *Mittamus*, inquit, Cardinalis, *ista omnia, & videamus quid facto opus, vt Reginæ gratiam experiaris.* Tum pollicitationibus facilem credulitatem implevit, inania pro solidis semper captantis. Tandem venit decretoria dies (decima octa-

va fuit Ianvarij mensis ann. 1650.) quâ bene mane, adfui Mazzarino, vt meus mos, Nomine trium Principum, quædam non ita magni momenti, rogaturus, intrat postmodùm, Condæus, qui dum auribus Cardinalis allabor, & incepta perago; Lioneo familiariter nescio quid insusurrabat, Discedentem me, Monet Condæus, Longavillæum accersendum, quia, cùm de Couturij captione ageretur, Poterat moderari motui, si quis oboriretur, per Corinthium agnatum & amicum.

Ego Chaliotum, non procul ab vrbe, [vbi degebat Longavillæus, vxoris vitando consortio,] me contuli. Cùm apertè nunciassem, notatum mihi imminens infortunium : Sive præsagâ mente, sive aliundè Monitus; non dedignatim respondit; *posse fieri, vt Principi injicerentur manus; sed frustrà moneri, qui omnia, cum* Sorore, *spernebat : se autem, cùm pridie Cardinalem conciliasset, nihil timere.* Venimus Lutetiam, quò maximè properabat, impellente Beveronio, pro filio successionem in Præfectu-

ram Normandiæ, à Mazarino per Longavillæum impetraturo. Die vesperante, Condæus se sistit Reginæ, more solito: & cùm à Riveriano, ignaro initi consilij, audivisset, Aureliæ Ducem non adfuturum; nonnihil turbatus, facilè cogitavit Patrocinium suæ causæ, in Senatu deseri Consultò ille ab fuit; sive componendæ procellæ, quæ sperabatur; sive, vt à facinore vvltus averteret. Contius, & Longavillæus, pariter in Xystum concilio destinatum conveniunt; vbi aderat Cancellarius, Servienus, Tellerius, cum nonnullis gravibus viris, è Regio Consistorio. Mazarinus in cubiculum se receperat, Riveriano Abbate secum deducto. Guitaldus, Præpositus Regiæ Custodiæ, gressu laborioso, intrat Xystum Consistorialem; & Condæi auri, se reverenter applicans, denunciat illi, nomine Reginæ, carceris necessitatem; Comingius Contio, Cressiacus Longavillæo. Primò visus Condæus hoc per risum excipere. Mox cognovit, seriò Guitaldum loqui, tum conversus ad

aſtantes, *Regina, mihi captiuitatem, per hunc Guitaldum indicit : non hoc meruêre obſequia, non fides , ne dicam , geſta. De ejus juſtitiâ omnia non ſpero ; ſed credo. Vos teſtes aduoco moderationis ;* Hinc rogat Cancellarium, Reginam ſuo nomine adeat, & colloquium, ſi fieri poſſit, ab eâ, impetret : Idem apud Mazarinum, rogat præſtare, in ſui gratiam, Servienum. Vterque Principi paret : Cancellarius redit . fruſtrà tentato colloquio; Servienus irreducem viam carpſit. Mazarinus per eum, certior factus, de re peractâ ; Riveriano, enunciat : cui graviter, hoc laturum Aurelianum, murmuranti, Tunc clarè aperit, nihil factum niſi quod ipſe Aurelianus , probaverit. Diſceſſit, multa gemens; Et cùm pro more ſolito , Aurelianenſem alloqui tentaſſet; Crudam repulſam tulit : Ac tunc demùm, certâ fide, ſe perijſſe, credidit. Interim Guitaldus redit, ſtipatus viginti armatis , qui torvùm intuiti Condæum, magnum aliquid auſuri, videbantur. Princeps deducitur placidè. Contius probrum non concoquere, ſed fremere, ac pœnè minari.

minari. Condæus fraternas iras verbis, & exemplo composuit. Per Scalam secretam sine motu abrepti, imponuntur Rhedæ, Condæus scilicet, Contius, & Longavillæus; Comingio, Guitaldi nepote, ab eorum latere nunquam discedente, paucis Equitibus Regiis, primò comitantibus: Ad portam Richelianam Miossanius numerosiori turmæ præerat. Sic per abrupta viarum, & intempesta tenebrarum, Vincennas deducuntur: nullo oborto tumultu; etsi Rheda eversa exposuerit in terram Captivos, potiùs grandi casu territos, quàm de libertate cogitantes.

[Non sum ignarus, quasi fabulosum visum iri, Tantum animi in Mazarino fuisse, vt in Civitate discordiarum avidâ, amicis Principum præpotentibus, facinus ausus sit tam periculosæ aleæ plenum, non animo decernere, sed exsequi: & quòd omnibus, tam cautis tamque acribus consilijs, prospexerit, vt nihil inde turbatum. Tot Asseclas Condæi, tot Contij, tot Longavillæi, tantâ caligine suffusos, suis malis secordes

indormisse : nec hiscere quidem ausos, post toties ostentatam factionis suæ firmitatem.] Funditores per Vrbem palabundi discursare, quasi summa adepti ; Beaufortius inter primos. Collucere flammis plateæ, signa plebei gaudij : memoriâ scilicet obsidij Parisiensis; Cùm Condæus, ignarus Fatorum, incautâ mente, Vrbem tam amicam, tam faventem, acri obsidione premeret, & adjacentia populatione vastaret, pabulis passim infensatis, & regione desolatâ. Regina, pervigil ad id noctis, eventum rei præstolari, vt inter spei & timoris moras; singula momenta computare. Idem, Aurelianus. Perfecto demùm facinore, illius magnitudo intellecta est. Tandem adventat Nuncius de felici Vincennas appulsu; vbi in turrim detrusi, eodem tres Principes cubiculo, humi strati, incœnes pernoctassent, ni Ranzovius, (eódem anteà, Condæo adnitente, compulsus,) immemor injuriæ, lagenas aliquot vini, quarum illi semper copia; & nescio quid dapis, obtulisset. Locum ad lævam muniunt parietes arctali pæ-

dore & ſitu : Camera lapideis fornicibus vincta; inculta tenebris; odore fœda; atque terribilis ejus facies; Principes inſomnes varia agitare, vt in talibus fieri amat. *Suæ credulitati Mazarinum illuſiſſe: grauem non ſolùm captiuitatem, ſed captiuitati additum ludibrium: tot ſpes truncatas: inimicorum triumphos.* Hîc Longavillæus veraciter vaticinatus eſt: *Funda*, inquit, *nos huc detruſit, & Funda nos liberabit.* Eâdem nocte, captus Ioannes Peraldus: & brevi poſt, raptus in eandem Caveam fidei, inculpatæ pœnas luit: gloriæ acceſſione; quòd ſubſidium Auguſtæ Domûs, cujus res ſemper fecerat ſuas, ſociatâ ſorte, in eadem fata traheretur. Ego circa ſumma facinora diſtentis, puto quia minor, evaſi. Calamitate filij, ad matrem perlatâ, ea fuit doloris vi oppreſſa, vt pœnè inter manus aſtantium exſpiraret. Magnis Mommoranciis orta femina, eorum animos præ ſe tulit, & variis fatis exercita, quia tantum dolorem non potuit ſperare, neque etiam ferre poterat: Poſt varia molimina, pro libertate ſuorum, tandem feſſa ærumnis, ad

eorum viſus, nunquam reditura, tædio vitam finivit interiecto paucorum menſium intervallo. Longavillæa, fratrum potius, quàm mariti luctu violenta, audito caſu, humi ſtrata, tanto actu, fœdatam noctem Lamentis inſuper corrumpebat. Matri & Filiæ perſuaſum, ſuprema fata, captis imminere: nec talia auſuros, qui mitiora decreviſſent. Iubet Regina Condæam matrem Vrbe excedere, & Longavillæam in Palatium Regium accerſit. Illa, impetratâ veniâ, Carmelitano Cœnobio, ſe triduo includit; hinc Chantiliacum, cum Nuru & Enguiano Condæi filio, ſe recipit. Hæc Palatinæ artibus evadit, & Rupifoucaldo, viæ duce, in Normandiam ad Mariti amicos ſe proripit, eorum fidem expertura. Decreverat Mater, exitiali illâ nocte, Lutetiam circuire, filij clientelas ſolicitare, commovere vrbem: Cùm audiviſſet, omnia infauſta; Corinthium & Beaufortium ovantes per Vrbem procedere: ignes paſſim accenſos, teſtes publicæ hilaritatis; non pepercit lamentis; De Reginâ graviter conqueſta:

Corde Reginæ, nescio precibus vllis mansuescere, inanes lacrimæ, Condaæ fundebantur. Tot Proceres, toties præclara Principi pollicitos, altus stupor vrgebat. [Nunquam clarioribus indicijs approbatum, quàm intuta omnia apud Aulicos. Incolumi fortunâ, vaniloquentia; fractis rebus, rumpitur fides, Ignavâ desertione.] Bullionæus se præsenti periculo eripit, & latebris abdit, Tureniacæ suæ ditionis. Frater Turenius Stenacum, noctivagus, per ignota viarum, salvus adventat: Moussaius, atque alij, afflictæ Domûs, asseclæ, hâc & illâc disperguntur. Eorum omnium, tandem Stenacum, fuit receptaculum, & asylum alijs à Rege desciscentibus. Longavillæa Rothomagi, multa versavit, nullo operam suam exhibente. Ipsi Beveronij, qui Vrbi ac veteri Palatio præerant, & in illâ Provinciâ, secundas tenebant, feminam eliminare, & cogere Diepam abire: vndè, quis exitus, posteà dicturus sum.

Hæc erat facies rerum, post tres Principes in Carcerem conjectos, nullo strepente,

ne quidem conquerente. *Toties victorem, Condæum, toties magna meritum, cæcis lateribus includi! Quis non miretur Viri fata; Post actos tot triumphos, Jn tales manus peruenire; quo, à Carolo-Magno pauci Jmperio digniores, siue prosperos successus, siue ingentes animos, siue mentem quantæuis fortunæ capacem, respicias? Nimiùm propago Gallica potens visa, si hæc dona incorrupta ab omni labe. Non injuriarum acris vindicta, Nec beneficij, vlla recordatio. Nullus potentior blanditijs, cùm opus vrget: post elapsa pericula, aut operæ necessitatem, alta rerum obliuio.* Contij *spiritus, in sorore Longavillæâ, vertebatur. Longavillæi ingenium, tricis impeditum: summis labris cuncta gustare. Nulla Factio oborta, cui non immixtus. Vix intrauit, cum pedem retrahit, quem aptat mille calceis. Potuit mergi, non semel; lubrico & gyris, forte euasit. Ejeratis prioribus amicitijs, nouis se applicare, dummodò spes melior. Colere felices, miseros fugere. Nullum bis decipere, arte penetrabili. Cupidus lucri, hactenùs, vt lucrari videatur. Dotes animi, technis futilibus corrumpere. Certè Carceris molestia longè ab eo, nisi Versipellis, & neutri parti fidus:*

vtramque deuincire, aut eludere parasset.

Non adeò tamen sterilis virtutum ætas, vt non exempla laudata prodiderit Grammontius adijt Reginam : ac non frustrato animi mœrore, indolere se Condæi malis, apertè testatus est : quædam etiam admiscens nobili libertate digna, quæ prudens postmodùm cohibuit, ob sacramentum, quo Regi tenebatur. Id proprium Viri, fortia semper agere; hilari, sed cum pondere virtute; Molæus etiam, Condæo palàm addictus, non absimilia locutus est.

Revocato Comingio, qui Vincennis remanserat, custodiæ Captivorum Barius præficitur : tam imperiosè, quàm incautè functus provinciâ; Sævienti famæ, libello ad Senatum misso, Regina occutrit, cujus Sententia fuit; *Condæum non subditum, amplius, sed Regem agere; non potuisse diutius crescentem audaciam tolerari : Contium fraternâ authoritate insolescere. Longavillæarum petitionum, nullum finem; velle quæ vult die dicto; cæterùm, ancipiti semper fide: Ne per Neustriam, obtentu Condæi, turbas cieret, carcere detentum.* Hactenùs Pa-

tres aſſensère. Mazarinus Neptes, Monaſterio, demulcendo Condæo, incluſas, in lucem revocat. Vxor Bullionæi, latebris maleſidis abdita, capitur; & Baſtiliæ Arci includitur, laxâ cuſtodiâ: ibi aſſervata, ad pactiones cum marito Burdigalæ factas. Hæc in Vrbe.

Per Provincias, Mazarinus ſtrenuè invigilat: Vandomio in Burgundiam; Harcurtio in Neuſtriam; in Campaniam Hoſpitalio, Santagnano apud Bituricenſes, delegatis; vt publicæ rei conſulerent. Barcinone, Marcinus, qui Gallicis copiis præerat, è clientelâ Principis; captus, & Perpinianum deductus eſt. Vir bello exercitus, famâ clarus, Initiò reluctanti ſimilis, capulo manum admovit; cùm neſcio quid indecorum, ſuſpicaretur, Poſtmodùm, compoſito animi fluctu, Ioſepho Margarito, & Ioanni Marcano, ad quos Regis mandata perlata, paruit obſequioſus. Romæ interdicitur omnis, de Riverianâ dignitate, ſolicitudo. Sic ille, ſpe Galeri damnatâ, Vrbe exit, auctus opibus, & opimis reditibus. *Ob*

amœnum

amœnum ingenium, primò apud Aurelianum gratioſus; amœnitati prudentiam junxit. Jta Domini animo moderatus, vt per ejus conſilia, nunquam aberrarit. Non impulit ducem, ad ardua, gnarus, non ſuffecturum. Mirati ſunt ſagaces, quâ ſolertiâ tamdiù potuerit volubili, commutabilique gratiæ inhærere. Tandem muliercularum delationes omnem viri induſtriam eluſerunt; inclinatio in Condæum, vltimò peſſumdedit: ſi ruina vocanda, tranquillitatis, & honoris portus glorioſus.

Regina Certior facta de Longavillææ conſilio (Cui decretum, non Diepa digredi, ſed ibi validam defenſionem parare; ad id conducto milite, ære vndiquaque contracto) ſtatuit in Neuſtriam ſe conferre, aditu facilem; non ſine Copijs idoneis, compeſcendis Longavillææ cœptis. Rothomagum tota Aula pervenit, per obnoxios populos, & volentes, amicitiæ fallaces, & in id proclives, vnde ſecuritas & emolumentum ſperatur. Sua cuique vtilitas, in illo tractu; peſſimum veri affectûs venenum. Ex tot

amicis Longavillæi, tantâ pecuniâ, tantâ arte paratis, nullus loco se movit. Consessus Curiæ Rothomagensis, Regiæ voluntati libens obtemperat. Tanta est Gentis solertia, vt casu Longavillæi, qui nullum læserat, omnes lætarentur. Interim ejus Conjux non muliebribus lamentis, sed omni ope annititur, vi animi, consilio, verbis; vt Diepanos & Montignium Gubernatorem, strenuæ defensionis capaces efficiat. Populi renuere; & adventu Regis, qui jam appropinquabat, ac reverenda amplitudine Majestatis, territi, de deditione statuere. Ipse Montignius nihil præter obsequium Regi, vt aiebat, debitum spirare. Selecti Cives obviam mittuntur, fidem polliciti: nec se amicum cognoscere, in quem Classica Regia audirent. Plessæus Bellierius, Montignio iam Præfecturam suam abdicante, Diepæ præficitur. Longavillæa sic derelicta, fugâ sibi consulit, clam evadens, per devia, misello equo inequitans, consilii & auxilii omnis inops: Maritimam oram legens, nescio quid fortuiti navigii, conscendit, non

ſine periculo. Pœnè merſa aquis, ægrè ſuſtentata, tandem ſe pelago credidit : & fatis ac fluctibus agitata, Roterodamum apud Hollandos, omnium rerum neceſſitate circumuenta, appulit; aſperâ anni tempeſtate, & hyemante mari. Duravit aſſuetum deliciis corpus. Hinc eius nomine, verboſa epiſtola ad Reginam venit. Summa literarum; *In Hollandiam per mille pericula ſe perueniſſe, ſalutem ſuam fluctibus committere coactam, vt Mazarini ſæuitiam fugeret, qui Lutetiæ, & proximè in Neuſtriâ, exitium ſibi moliebatur, Condæanę Domûs anhelans perniciem. Rogare Reginam, vt miſereatur ſuę ſortis, & labentis familię; &, ſi quis precibus locus, induat bonam erga ſe mentem, nec ſe Cardinalis artibus patiatur amplius faſcinari.* Per ſimilia, afflicta Fœmina Princeps, jam in portu collocata, gravatum animum exonerabat. Qui mos doloris. Cæterùm, cùm apud Hollandos, nullam rei benè gerendæ, occaſionem captare poſſet; oppigneratis gemmis, pecuniæ vim conflavit, & adverſo Mosâ, Stenacum iter intendit. Quò cùm adventaſſet, de fœdere cum

Hiſpanis ineundo, cogitavit. Antequàm Rex Neuſtriâ diſcederet, omnia pro nutu verſavit, nullo adverſante. Vnumquemque ſuo metu fecit obedientem. Mutatis Præfectis Arcium, è Longavillæi clientelâ; Arces, non tam firmæ Compedes, quam cenſent Galliæ primores; Ad exiguum motum validæ, fragiles in magno; In finibus contra nos, non ſpernendæ, ſed in Mediterreis, inutiles. Harcourtius toti Provinciæ impoſitus eſt.

Richelianus ſtatim à Matrimonio contracto in Havræam Arcem, cum Conjuge ſe abdiderat, obnoxio ſibi Præſidio reddito. Rex Rothomagum eum citat: & cùm necteret moras; Mazarinus, Armandi non immemor, viam invenit, Iuveni gratificandi: monet, vxorem mittat, quæ maritum præſtet. Illa venit. Incœpti hymenæi approbati: nouæ Nuptæ, Ducíſſæ honos decernitur. Havræa Arx Santamoreo remiſſa, Eſguillioniæ partes obeunti, quæ ſapienter hîc, & aliàs, tempori paruit. Interim Santagnanus *Auarici*, fidelem operam navat: Turrim Bituricenſem, Palladium vr-

bis, venerandâ antiquitate, non operibus validum, vi capit; & ad Regis obſequium omnia paſſim redigit. Eadem in Burgundia, Vandomio facilis, & prona expeditio. Dedunt ſe ſponte, Arces & Vrbes, Principi nuper obnoxiæ. [Inde planè conſtitit; Proceres noſtros, peſſimam rationem inire, cùm importunè loca munita extorquent, nonniſi cum Regis gratiâ, valitura. Hoc toties damnatum, ſemper retinetur. Hinc eorum Clientelæ, à fame depelluntur; poſtquàm, miſero ſervitio, ſibi tales nidos redemerint; vndè in ſubditos Regios, poſtea ſæviant, quà latè poſſunt, tyranni.]

Claromontium, circa Lotharingiæ fines, quod juris Condæani erat, à Seneterreo invaditur: Danvillerium per Becharellum, in poteſtatem Regis, ſubdolè adigitur. Fuerat etiam & illud, per Condæum extortum, artibus Sororis, vt Rupifoucaldio faveret: Cujus frater, eò immiſſus, non mutato præſidio, ſecurus ignoti militis, turpiter deluſus eſt. Bullionæus, Turenius, Rupifoucaldius, & cæteri vocati in Aulam; Non parent.

Et Rei dicti læſæ Majeſtatis ex conſtitutâ apud nos formulâ. Eodem tempore Beaufortius, Corinthius, Brouſſelius, Chartonus, & alij, in Senatu, accuſatione & ſuſpicione, criminis in Condæum abſolvuntur.

Tanta Funditorum fuit authoritas, vt Reginam adegerint ad omnia ſua commoda. Nihil illis fuit prius, quàm fortiter anniti, vt remoto Seguierio, Caſtellonovus, vitæ tenebras peroſus, ſigilli cuſtodiâ redonaretur, Iam ante quindecim annos Procancellarius; Ingulimenſi carcere, per annos quatuordecim, lucis vſu adempto, per Richelium incluſus, obtentu levi & nugatorio.

Ineunte vere, Rex, ſtipatus Proceribus, iter Burgundicum inſtituit; Exceptus tanto applauſu, quantum, nullum ad eum diem, homines meminerant. [Quid aliud in hâc præſertim Galliâ, quàm Principes, & Magnates fidere clientelis, & ab ijs duro tempore deſeri, viciſſim, Principes in anguſtiis, montes aureos polliceri; quibus ſuperatis, nihil priùs obliviſci, quàm benefacta?]

In Burgundiâ; Senatus, Nobilitas, Præ-

ſidiæ, ad pedes Regis, Factionis vexilla deponunt : ac legitimo imperio ovantes, parent; Condæanæ domûs, vt ſepultæ, immemores. Solus Tavanus Seurriæ, cum Collinio & Sammicaldo, quingentos pedites, ac quadringentos Equites incluſerat, defenſionem validam oſtentans. [Seuria, oppidum munitum in confinio Comitatûs Burgundici, ad Somonam flumen, Bellegardæ appellatione, nunc innoteſcit.] Exercitus Regius, imperatore Vandomio, illi admovetur. Iuſtæ obſidioni, cuncta parantur. Vallum perficitur, quod Rex audax juventâ, in troſpicere voluit, Mazarino viam monſtrante. Vacatio tormentariæ quaſſationis, rebellibus indicitur; donec luſtratâ vallatione,Rex in Prætorium redijſſet. [Etiam Medijs in armis, moris eſt apud Gallos, eam Majeſtati fidem ſervare.] Statim Rege extra tormenti jactum poſito; bellica tormenta diſplodi, nonnullis cæſis, ad Mazarini latus; qui inter periculoſos ſtrepitus, munia præſcribere, perſeverabat. Monentur incluſi Duces, de deditione pactâ, niſi in-

tra certos dies, auxilij ſpes, illuceſceret: quâ deficiente, Vrbem Regi tradiderunt.

Dum hæc apud Burgundos; Mater Condæi, Lutetiam ſe proripit; & in Corte Palatii, privatis ædibus, clam delituit: donec inopinò Aureliani, genibus advoluta, lacrymarum plena, eius implorat pro Captivis miſericordiam. Idem obſequium, Beaufortio, & Corinthio, ab eâ præſtitum. Aurelianus eam allevans, & blandis verbis demulcens, nec promittenti nec repellenti ſimilis, rogat, *Dolori temperaret, neque intempeſtiuis officijs natos, & ſua læderet; A tempore ſolo, medicinam rerum exſpectandam.* Beaufortius, & Corinthius, non abſimilia. Scrutatoribus Aulicarum rerum, ab illo die, de libertate Principum, certa fides; Condæana Supplicem libellum, Senatui exhibet, per Landeum Payenum, qui animosè illum retulit. Variæ in Mazarinum criminationes, & per eius latus, Regina petebatur. Senatûſconſulto, iubetur Vrbe exire. Illa ſpatium poſcit pro ſummo munere, triduum, ſcilicet aut biduum; & tandem vnius diei moram;

quâ

quâ conceſsâ, Bernium petiit : vndè per Regia quoque mandata expulſa, Apud Peraldi ædes Angervillianas, non patiens mœroris, divertit; ac tandem Chatillonium; Gaſparis Collinij penatibus, & Carlottæ hujus morte, nobilitatum oppidum. *Jbi enim finis fuit nobiliſſimæ Fœminarum, tam thalamis Condæi, dignæ, quàm patre Mommorancio. Eam Henricus IV. cupidine formæ, auferre marito. decreuerat, incertum, an inuitam. Comis vltrà, quàm ſeueris Matronis probatum. Sui, ſupra modum, amans. Mater impotens : Vxor facilis; & cum artibus Mariti, ac filij ingentibus animis, bene compoſita.*

Longavillæa, Stenaci, fœdus cum Hiſpanis iungebat. Gabriël Toletanus, Leopoldi, nomine Fœminæ omnia offerre ; invalidum ſcilicet militem, numero pompoſum, pugnâ vilem. Illa ignara mali, inexpertæ Ibericæ fraudis, non ſemel pœnas luit. Turenius, Henrici Turrii, certa ſoboles, omne belli decus ſibi retinere. Longavillæa patienter ferre, quod nefas corrigere. In eâ ſemper Virilis curæ auxilium, Summa Fœ-

derationis hæc fuit. *Sub auspicijs Hispaniarum Regis, ad Pacis sanctionem & liberationem Principum, simul bellaturos : Vrbes & Munimenta Capienda ad fines vtriusque ditionis, Hispanorum; Quæ in visceribus Regni, Conjuratorum fore : tamen, Pace firmatâ, reddenda. Quinque millia Equitum, siue Peditum, ministraturum Hispanum, suis sumptibus, etiam annonâ suppeditatâ : Hispano Duce, qui tamen pareret Turenio; vniuerso exercitui, nomine Hispaniæ Regis, imperanti. Certam pecuniæ summam, in singulos menses, Longavillææ, & Turenio persolvendam; vndè & copias & familiam, quisque suam sustentaret. Quicquid finitimi Munimenti, Condæo obnoxiûm, Hispanis cedendum; ad Pacem vsque stabilitam, & Principes liberatos.* Imminebant Hispani maximè Seurræ seu Bellegardæ, quæ facta Gallici juris, non poterat per hæc pacta, in eorum arbitrium pervenire. Longavillæa Arcem Stenacam, sibi pertinaciter reservarat : Nec animum induxit vnquam, Bruxellas concedere, vbi degere non poterat, nisi amissâ libertate.

Hæc in Campaniæ finibus; dum Bur-

digalæ, quæ altera ſocialis belli ſedes, Bullionæus & Rupifoucaldius, non minora moliuntur. Ac ſicuti Turenius, Longavillææ, conſilia regebat, Frater Bullionæus, apud vxorem Condæi, præcipuus Conſiliarius, in Aquitaniâ omnia pro nutu temperabat. Cæteri velut vmbræ. Hanc, & filium Enguianum, cum Monte-rotundo extraxiſſet; per Arvernos, (fruſtrà Eſpernonio, & Valetano Equite, obnitentibus,) Non procul Burdigalâ deduxit incolumes, per iniqua viarum; aut cautè evadens, aut feliciter pugnans. Certatum ſententijs, an in Vrbem admitterentur: Tandem memores Condæi, cujus in Burdigalam ſtudijs, cauſa primaria, carceris imputabatur, Cor & portas Anguiano & Matri pandunt, præter Domeſticos, nullo admiſſo. Brevi patuit vrbs, nullo excluſo; Ne quidem Hiſpano, qui ad accenſos in Gallia, ignes, ſua damna refovens, gaudebat, infuſo oleo, ligna ſuperimponere.

Mazarinus, oculos hinc & indè vigiles retorquens, Lutetiæ graviora in dies ſuſti-

nebat; plus Regno metuens à Funditorum artibus, quàm à Conjuratis, aut externâ omni vi. Obtentu, Hiſpani repellendi, Cardinalis, Regem Compendium deduxit; animo eripiendi à faucibus Lutetianæ Factionis, quæ graviora præteritis meditabatur. Rupifoucaldius, cœpit primus, apertâ vi graſſari. Salmurium, vbi Ligeris ponte jungitur, (accensâ face bellorum civilium, tranſitus ſemper ambitus,) Comingio donabatur, præmium operæ in Condæum navatæ. Dulmontius, qui Salmurienſi Caſtello præerat, ægrè ceſſurus, monet Rupifoucaldium, de auxiliari milite inimittendo in arcem, quam poſteà ſtrenuè tueretur pro Condæanis partibus. Rupifoucaldius, qui iam de itinere Aquitanico cogitabat, ex Pictonicis & Inguliſmiacis ſuis agris, Nobilium manu collectâ, prætextu Iuſtorum, quæ parenti perſolverentur, Salmurium properè contendit, Sed in dedendâ Arce, Dulmontii feſtinatio, omnia conſilia prævertit. Cùm ſpe illâ excidiſſet Rupifoucaldius, convertit animum ad res Aquitanicas, & Bur-

digalam; Sansimonium, Blaiæ Gubernatorem, adiungere destinans. Qui reputans, quantum Regi mortuo deberet; quibus beneficiorum vinclis devinctus, fidem intemeratam, filio promisisset; quàm periculosa, quæ cœptabantur; aures clausit. Rupifoucaldius, Bullionæo iunctus, dextro modo animis Burdigalensium fascinatis, Vrbem intrat; Ac statim omni abiectâ personâ, pronunciatur Enguianus, supremus Ductor copiarum, Bullionæo, & Rupifoucaldio, secundas tenentibus. Hispanicum auxilium per homines delegatos palàm imploratur. Belli civilis ignis suscitatur. Espernonio ac Equite Valetano solis pro Rege armatis. Nam & Forcius, cum progenie, librato aliquandiu consilio, non de re, sed de pecuniâ, tandem partes amplexus est.

Post detrusos in carcerem Principes, quæ hinc & indè in eorum gratiam perpetrata sint, hactenùs exsecutus sum. Ad captivos nunc redeundum. Primi octo dies, tanquam sepultis & terrâ obruptis, fluxêre. Illinc, singulis horis, omnium rerum gnari facti

ſunt; ſive per doloſum atramentum, cuius enodator ignis, aperta recludebat; ſive per chartulas inſertas Scutatis, ad id mirâ arte cavatis, innocente metallo; ſive per Sacerdotem, qui, inter Miſſificandum, loco ſacri, novum Evangelium nunciabat; ſive Barius affixos retrorſum Codicillos, ad Captivos, inſcius deferret, ipſe ſui proditor: etſi pervigil, moroſè ſingula anquireret, corruptelæ omnis immunis, carcerario tantùm quæſtu refocillatus. Cardinalis & Funditores diſpariſſimi concordiæ, ſe invicem prodere, & cum Carceratis, de matrimonijs, & quaſi de partiendo Regno, conſilia agitare.

Vincennis per hoc tempus talis molitio detecta eſt. Præſidium ducentorum militum fuit; quorum quadraginta, vnanimes in Barium conjuravêre, Cùm in Eccleſiâ funderet preces, decretum, portâ extrorsùm peſſulatâ, eum includere, & partem Præſidij, quæ vt plurimùm Bario precanti, aderat; mactare, autem qui in cubiculo Principum, aut ad januam cubiculi, in ſtatione,

pro custodiâ positi erant; Captivos carcere solutos, deducere ad muros Septi, vbi pariete everso, à strenuâ manu ibi præstolante, exciperentur. Hæc omnia perlata ad Condæanos amicos, à quibus non vulgare æs, præmium facinoris, exigebatur: Evulgata omnia per sublestam fidem. Dies condictus, etiam revelatus; quo Beaufortius, valido Equitatu stipatus, Vincennæ adjacentia oberravit. Barius, de Conjuratis sumpto supplicio, Gallico Præsidio dimisso, Helveticum, fidei indubitatæ, induxit.

Compendium, Rex concesserat, Vitandæ Funditorum proterviæ, vel ex propinquo, ingruenti Hispano coërcendo.

Turenius, acceptis promissis copijs, per Hannoniam, Archiduci & Fuensaldagno, se adjungit: ac sociatis viribus, cum hostili exercitu Gallias intrat. Cataleto, inopiâ annonæ & pecuniæ, intra paucos dies, ad deditionem redacto; Guisiæ Vrbi obsidionem admovet. Non fortius, his temporibus, ostentata est potentia Hispanica; nec major belli pompa: seu expertum militem,

ſive Duces reſpicias. Fortiter vtrinquē pugnatur. Mazarinus, qui tam proſperè Normaniæ, Burgundiæ, & Campaniæ res compoſuerat, ferocioribus domitis; Guiſiam Galliæ eripi, Rege vicino, non concoquebat. Intermiſsâ omni aliâ curâ, pecuniâ vndiquaque corrasâ, privato etiam impendio, neceſſitatem publicam ſuſtentavit, ac in Caſtra Regia, Vantacourium vſque promota, [vno milliari diſtabat Pagus ab vrbe obſeſsâ,] inſigni Nobilium manu, ſtipatus ſe contulit: vbi ingenti applauſu exceptus, pecuniam viritim ſparſit: Agi de gloriâ Gentis, & Regni decore, non ſemel inculcans. Ipſe infeſta loca adire; immittere Ruſticos, qui de auxilio parato in extremis laborantes, admonerent. Iam victor hoſtis occupaverat vrbem; Caſtellum premens, quo ſe Bridius defenſor, cum lecto milite, receperat vltima paſſurus. Prima cura Mazarino fuit, hoſti annonam prohibere; quam non ſemel intrare paratam, eripuit. Non poterat niſi, Cameraco educi, ad quam omnes viæ interceptæ. Pleſſæus Pralinus, Har-

curtio

curtio abſente, exercitui imperabat: aderant & viri egregij, Hoquincurtius, Seneterreus, Villequierius, Mauviſſerius, Navalius, ac non pauci alij. Tantus exercitus, iam potitus vrbe, coactus eſt, ſolutâ obſidione, re infectâ, Cameracum versùs iter intendere. Quibus auditis, Funditores invidia rumpi. Eò magis, quòd de futura in Aquitaniam expeditione, fama jam erat. Subibat hæc cogitatio. *Si poſt tam proſpera rerum, etiam Mazarinus, Burdigalâ, victor rediret, quid nobis fiet? Cardinalis, ſucceſſibus elatus, memor Funditoriæ audaciæ, nihil prius habebit, quàm eam peſſumdare: & forſan per ſe ipſum, Condæum liberare; qui efferatus malis, ſæuiet in authores.*

Tanti Mazarino, Burdigala fuit, vt quamvis Hiſpani, ad fines Picardiæ, Caſtra poſuiſſent; Funditores tumultuarentur; Lutetia nutaret; Aurelianus, qui expeditionem Aquitanicam detrectaverat, malè animatus, in Vrbe remanere voluiſſet: eò tamen molem virium, cum Rege, deducere decreverit? Eſpernonius, monitus de itinere Aulico, omnia præparat: Idem, Meilleræus

qui apud Pictones Rupifoucaldi, infelices reliquias, represserat aut collegerat : vt videlicet, quantam vim possent, adventanti Regi, coniungerent, in Rebelles. Valetanus Eques ex improviso, Insulam Sancti Georgii, in medio Garumnæ sinu, tribus milliaribus, Burdigala distantem, occupat : ibi impositus est Canolius, qui turbato commercio, annonam Burdigalæ arctaret. Multi iam in Vrbe, pœnitentiæ, quàm proterviæ propiores, reputabant apud se, quantis periculis, se involuerent, nulla salutis spe affulgente. Tamen impetu abrepta Civitas, arma induit; Portas non necessarias, muro claudit; muniuntur loca imbecilla. Sed opera interrupta, vt plurimùm pendere : pecuniâ Hispanicâ largè promissâ, guttatim stillante; aut derivatâ in privatos vsus. Bullionæus, & Rupifoucaldius, non ampliùs cinctu murorum, & latebris se abscondere; sed periculum virium suarum facere. Tria millia Peditum, & octingenti Equites, vrbe exeunt, hostem quærentes per Medulcos; quò Espernonius, cum Meilleræo, & Equite

Valetano, ſociatis armis pervenerat. Pugnatum ibi; Ac tandem, Bullionæus & Rupifoucaldius impares, Vrbem repetiêre: vndè auctis copijs, ex Civibus, & Ruſticanâ pube, rursùs exiêre alacres; & aggreſſi Regios, extra Ialam flumen detruſerunt; Intercepta Inſula Sancti Georgii, vbi captus ſuo magno malo, infelix Canolius. Eſpernoniæ & Meilleriacæ copiæ, Gravæ inſident. Non poterant graviùs plecti Burdigalenſes, quàm Vinetorum deſolatione, ſpe anni irritâ, per privationem Vindemiæ. [Nihil amœnius illo tractu, Niſæ colles diceres, quibus non certent loca celebrata, quà Baiæ & Cumæ laſciviunt, nec quà Benacus maſculis vndis aſſurgit. Inde liquores jactati, qui Falernis vuis, & immortali non invident Trebiano, vt aſſerunt indigenæ. Sed delicijs, quas largitur, felix ora, Vtilitas adiuncta, ex vinis convectatis, in remotiſſimas plagas, vnde Tributum non vile, cenſetur.] Hiſpani, qui Gallicis infortuniis, potiùs, quàm ſuâ virtute creſcunt, Lætis oculis, hanc rerum ſcenam, ſpeculati, Mit-

tunt Burdigalam, Iosephum Osorium, non tam ære gravem, quàm promissis. Hispanici Consilij, Mens fuit, quæ ab omni ævo; *fouere discordias, non exstinguere; lentis ignibus, torrere Burdigalam; carcinoma insanabile reddere, fallaci curâ.* Non deerant qui Ibericis artibus infecti, nullam sperandam salutem, Plebi suaderent, ac in atrocia quæque impellerent, Quod meruêre, timentes; aut privatam egestatem, publicis malis pascere; aut turbas, propter turbas, amare, maligno genio. Visum indecorum, Vrbem destrui, non excusso jugo, & Regi suo adhuc parentem; nullâ aliâ culpâ, quàm quòd Mazarinum & Espernonium tyranionem, aversaretur: Per eam incedere Osorium, Hispanico fastu, & quasi leges dicere, vbi legitimo Principi, vix obtemperabatur, intolerandum omnibus visum.

Factionis prudens propositum, Osorium cum navigijs dimittere; non sine clandestino commercio, & secretâ in futurum, consiliorum communicatione. Abiit Hispanus, lætabundus, accenso luculento

igne; & ſato peſſimo grano; vt exiſtimavit, germinaturo. Curiæ conſeſſus Burdigalenſis, ad Senatum Pariſienſem Voiſinum ſuum delegat, duo rogaturum, *conſilium, & auxilium : illud, vt quid agendum tam arduis rebus, Regi placando, impertiant & communicent ; hoc autem, vt Aquitania, beneficio pacificationis Sangermanicæ, frueretur; nec ſemotis Intendentibus, mutatis nominibus, duriora pateretur.* [*Indicabatur Fouleus, qui vaſtatione villarum , ſuſpendio Ruſticorum, & ſimilibus, deformabat Prouinciam , exactionum ſpecie.*] *Se quidem ingenuè fateri, Condæi vxori & filio ingreſſum Vrbis indulſiſſe. Sed, quæ gens tam barbara, hoſpitio prohiberet, afflictam cum tenello infante, Fœminam; vxorem, & ſobolem tanti Principis? ſi hoc ſcelus eſt, Fatentur patraſſe & huic vni culpæ, ſuccubuiſſe.* Certatum diù ſententiis Lutetiæ, an Literæ acciperentur, an Voiſinus admitteretur. Vicit ſententia de admittendo, cum Literis: quæ tamen ad Regem per Ballium Præſidem, & ſelectos Senatores perferrentur; cum mandatis vt ſuppliciter, nomine Senatûs, Reginam rogarent, *miſereretur Burdigalæ la-*

bentis, & omnem in eam ſęuiendi mentem exueret; ignoſceret lapſis; commodaret veniam inconſultæ potiùs, quàm malignę Genti. Aurelianus in Senatu multa facundè, vt mos eius, peroravit. *Eſpernonium jam à Rege reuocatum, ac juſſum obuiam Aulæ progredi: paratam eſſe veniam, exceptis ijs, qui cum Hiſpano contraxiſſent. Omnia vergere ad pacificationem.*

Interim iter Aquitanicum, diù per rumores evulgatum, inſtituitur. Quantis animis Funditores, illud abrumpere conati, hinc diſcas, quod ſingulis horis tumultuum materiem excitarent. *Nunc Pacem generalem ſanciendam, nec vlterà differendum; Hiſpanos ad æquas conditiones, poſſe nunc adigi; non id forſan in poſterum.* Quaſi in manu Mazarini totum Ibericum Conſilium verteretur. *Modò Principes, in Baſtiliam transferendos, ſub cuſtodiâ Brouſſeliadæ; [is enim talem Præfecturam, in gratiam parentis, obtinuerat,] Modò Præpoſitum Mercatorum, ex Funditorum ſententiâ, legendum, quod magni in omnes partes momenti foret.* Luteriæ quidem Fevrium Senatorem, ex Funditorum propagine, Mazarinus indulſit, at

ſtatim pellaciâ ſibi devinxit. Sed Beaufortius à Mazarino diſcedendi cauſas quærere: nempè, à Plebe paſſim Mazarinus, per opprobrium, appellatus; Mœrebat, quòd vilis popellus, nullis ampliùs acclamationibus per plateas incedentem proſequeretur. *Per Bellevræum, Præfecturam Maris imperiosè exigere: ſcilicet, primogenitum Mercurium, deſponſata MaZarineij Nepte, poſſe majora conſequi: vt autem aliqua ratio Patris Vandomij haberetur, Munus quidem, dum vita maneret penes eum; Beaufortium patri ſucceſſurum.* Vnde excandeſcens Mercurianus, minas fratri intentare, quaſi diſſidium ferro terminaturus. Hîc Funda non quieſcere, ſed vltra fremere. *Burdigalenſes juvandos: non ferendum MaZarinum, aduenam, ita illudere Regi, vt cum per ardentem Caniculam, in Prouinciam ab æſtu torridam, deducat, priuatis Eſpernonij commodis famulaturum. Id itineris non ſuſcipi, niſi vt infelix Burdigala vindictæ offenſi Gubernatoris ſubſeruiat, Victima rerum. Non de gloria Regis, ſed de inceptis hymenæis Candalij & Neptis, tantùm agi; cui dos, ſanguis Burdigalenſium erat. Illis*

peractis, per Tectosages in Prouinciam iturum victorem: Ejus regimen, vt Italiæ proximum, deiecto Alezio, sibi asserturum. Celebratis etiam Mercurij, cum alterâ nepte, nuptijs, rediturum, triumphatis Prouincijs superbum: Lutetiæ jugum impositurum, Aureliano & Fundâ proculcatis. Principes captiuos, aut in perpetuo carcere detenturum, aut liberaturum, sibi deuinctos. Hæc & similia pronis auribus accipiebantur; vt deterioribus semper fides. Nec plebes in trivijs aut angiportis, sed Primarij hæc disserere. Aurelianus credulus, & jam Mazarino infensus, meditabatur, quod postmodùm, exsecutus est, ad id Coniuge maximè impellente, Carcere Condæi, lætata hactenùs, vt Maritus rerum potiretur: quod cùm secùs evenisse animadverteret; optabat potiùs ferre Condæum parem, quàm Mazarinum potentiorem. Aurelianus non solùm rogatus, expeditionem Aquitanicam, oblatam recusavit, sed & Regem, illuc abstrahi, improbavit. Castellonovus fessus carcerarii pædoris, & sigilli honore redonatus, Hoc vnum tentare videba-

debatur, vt, neutri Parti ingratus, tutam velificationem dirigeret; Aureliano ſuadet, vt premat ſenſus, nec apertè ſæviat: Multa tempus ſecum vehere; ab illo omnia exſpectanda. Interim adeat Reginam, quæ in procinctu itineris, nihil non in eius gratiam præſtitura ſit. Illa manet immota, ſic pergitur iter; Aureliano intra Sequanam, & Ligerim relictâ laxâ gubernatione, factione multum latrante, quod Baſtiliæ; Captivos Principes non incluſiſſet; (illud fervidè non ſemel petierat) Lutetiæ reſtat Aurelianus potens rerum, Caſtellonovi & Telierij, fultus Conſilijs; At penes vnum Telierium ſumma fuit regiminis qui conſtans, & fidelis, in omni vitâ, ſingulari vi animi, & prudentiâ, cuncta moderatus eſt, nactus Campum in quo ſe largiter exercuit, & inter fluctus, pluſquam decumanos, navim direxit ad ſalutis portum.

Nullâ morâ Pictavij, nec alibi interpoſitâ rectà Liburnum Aula tendit; Rebellio hoc habet; Si in eam deliberes, Creſcit. Motibus, celeritatem, Publica ſalus impo-

nit, quia nihil eſt, ſuper improbitatis ingenium, & Novus ſubinde repertor exoritur, qui fidem ad flagitia exhibet; Pullulantibus in plebe, ſine fine cogitationibus; Burdigalæ viri boni ſeditioſis mixti, temperare, quoad poterant, audaciam, & ſæva Conſilia, eorum qui flecti, non minus putabant turpe, quam vinci. Dognonus Brouagio ſuo inſidens, ambiguâ loqui, Neutro ſtatu; Sanſimonius Blaiæ, fidem illibatam ſervavit & nihil præter. Interpretes & pararij Pacis, hinc & inde ire, & redire,

Hæc omnia abrupit Richonis & Canolij Caſus; Ille Caſtello Vairio Garumnam & Dordoniam inter, Burdigalenſium nomine præerat; à Meillieræo ad deditionem coactus, Liburni ſtatutæ cruci illigatus, laqueo exanimatus eſt; etſi aliquot horas ab Aureliani Filiâ, ſpem fouiſſet irritam; Burdigalæ Plebeia invidia, in Canolium deſævijt; Hîc ad inſulam Sancti Georgij, quam nomine regio tuebatur, Captus, liberâ cuſtodiâ habebatur, audito Richonis ſupplicio, non abſimili fortunæ ludibrio, innoxium

collum patibulo præbuit; vnde acerbata vtrinque omnia. Meilleærus adoritur insulam Sancti Georgij, magni momenti, laxandæ, vel arctandæ annonæ, Mottadelasius strenue eam defensabat. Eques ibi Valetanus glande trajectus, Cadilliaci postea ex vulnere, obijt; Nothus illius Espernonij, qui nomen genti fecit, & quo extincto, fortuna domus in vnâ postea stirpe, evanuit; in Equitis mortui locum suffecto Paluaussio, insula expugnata est, magno damno Vrbis obsessæ; quæ territa notabili jacturâ, tum Regis apud Burgum adventu, sansurinum suburbium & Portam Dicouxiam, & alia loca subitario opere, munivit, immissis in Garumnam navigijs, quæ Celoces tantum erant. Nullâ laruâ publicâ celabatur consternatio. Bullionæus, Rupifoucaldus, & Senatulus ab ijs pendens, satagere, quò vrbs afflicta in cœpta rebellione, perseveraret, donec, per publica vel secreta pacta, non alienum aliquid, suis commodis, expiscarentur, qui semper finis eorum fuit; ideò omnis curæ, & omnis sollicitudinis affectus impendere, & ni-

hil virtutis omittere, ad ruinam eluctandam, modo litteras ostentare, per Cursores subornatos, quasi Madrito aut, à Guipuscoa, quas Burdigalæ ipsi effinxerant, (affectus legentium vultusque notabantur) modo idoneâ alia fraude decipere, falsa pro veris famæ tradentes; præmittere scilicet de stipatoribus suis, qui arculas loculatas baiularent, in quarum fundo patacones subsidebant; eos levis Philippicorum bractea incrustabat; imis vili metallo, supernis auro lucentibus.

Condæanæ interdum blande illudebat hæc Larua rerum; interdum pudebat optimam feminam, effusissimæ fraudis, quàm non animo conveniebat, hæc fortuna: ingens in ea virtutis specimen, ab obstinatâ factione mulctabatur; Contumeliæ solatium, duo duces, id est peccantium dignitas. Iuvencula, vix in aulâ posuerat tyrocinium publicæ lucis, cum derepente obruta est grandi hoc Mariti casu, aquo nihil præsumere erat, nisi non litigiosam felicitatem; Interim res eius domestica ruinam minabatur, pane arcto, vt re cæterâ angustâ.

Hiſpani, tacitâ improbitate ridere, ſævo negotio Læti, & ſapienter captatâ occaſione, in Italiâ omnia amiſsâ recuperare. Primus Dognatus prorex Neapolis, Plombinum & Portolongonem, ſuppetiis per Caracenum Mediolano immiſſis, ad deditionem cogit, nullâ ſpe auxilij Gallici; & Dynaſtis Italiæ gaudentibus, quod piraticô nidamento infames portus, Tyrrhenam illam plagam dehoneſtarent; Æque erat facile totam Italiam invadere, quam tueri loca, nonniſi continuo claſſis appulſu valitura. Sed fonda Pariſina res negotioſa, & caput culmenque moleſtiæ, quia tam arduo cardine exercitus Hiſpanicus Leopoldo Duce, Capellam in confinio Belgij & Galliæ, invaſerat; Catelletum poſteà Capellæ fortunam ſecutum eſt; Turenius cum Fuenſaldagnio Rethelium & Caſtellum Porcinum ad Axonam, non quidem arces, ſed aptos nidos ſtationibus hibernis, aut animandæ factioni, cujus audentia, Archiducis Leopoldi per Campaniam, invaſione, in dies creſcebat; Occuparat ille, vber agri lætiſſimum feraciſſimumque, inter Fimas &

Sueſſiones; Bazochiis poſuerat ſedem & præcipuam metationem? Nulla regio, extat, quæ ſalubriore cælo ambiatur, quæ clementiores deſpectet colles, effuſiores planities, patentiores campos, vallium excurſus viridiores; Hæc tenebat Hiſpanus, dum Rex ſub zonâ Aquitanicâ, inter tædia & deformes moras, ab æſtu torrebatur. Ruſtici territi Lutetiam advolare, pavori amplificando. Boutevilleus vlterius, quam vllus progreſſus eſt, Fonditores gaudere & trahere, in ſui oſtentationem. *Non fuit*, inquiebant, *noſtra mens, vt Rex in Aquitanica raperetur, vt vrbs Domina, per minantia ſigna, trepidaret, tamen ea eſt Leopoldi lenitas, vt pacem offerat. Mavult MaZZarinus omnia in caſum dare, dum modo vindictæ Eſpernonij inſeruiat, & pactos perficiat hymeneos; quis integer hæc toleret diutius*? Evulgabatur ſcriptum, quo Turenius ad Pacem hortabatur, de Hiſpanis addicens; Leopoldus ad Aurelianum delegare, & hic viciſſim Leopoldum reſalutare, omnia publicæ quieti parari, excluſo Mazzarino. Quid vltrà? Avoſſius, privatę glorię, ſtudēs vt eius mos. Sueſſio-

nes properare, atque ibi legatum Hiſpanicum expectare, qui paſſus eſt, ſe fruſtra expectari. Interim Principes in Marcouſſium Caſtellum deducti extra, Sequanam, & Matronam, id Tellierio adnitente, ne aut, ab Hiſpanis vicinis, aut vi Factionis, liberarentur; Satius illic Cuſtodiri, in adventum regis, quam præſenti fortunæ, tanta pignora committi; conſenſit Aurelianus minus ægrè, quod Caſtellonovus toti illi tractui facile imperitabat; ſic, quaſi ejus Cuſtodiæ, mandari; ſolatium Funditorum. Viſa res mira; nullum, ex tot Principum clientelis, muſſaſſe Burdigalæ, publica erant, quæ fuere, lenta, ambigua, triſtibus, lætiſque, variata; Vicus Sanſurinus, poſt cumulatas vtrinque mortes, Regijs ceſſit, Ignobilis triumphus. Meillereus, Roquelaurius, & Sanmegrinus cum Paluauſſio ſtrenuè ſe gerere, tanquam ageretur de ſumma imperij; ipſe Mazzarinus intereſſe aſſultibus; Delphinæ Portæ, vis admota, & Diauxiæ, à rebellibus promotum fuit munimentum, quod Regij incredibi animo tantarunt; incredibiliori virtute pro-

pugnatum. Hic hæſit ſucceſſus obſidionis, & Mazzarinus re deſperatâ ad aulam redijt, multa animo voluens, Paluauſſium hortatus, vt perficeret. Meilleræus aliam aggreſſionem molitus eſt, ad veteres muros, quos facilioris æſtimavit expugnationis, & omnia illic magis peruia.

Mazzarinus fruſtra expectare, donec erumpentibus ſtudiis hominum, aliquos poſſet Regi addictos dignoſcere, nemine ſuo diſſenſu res incertas faciente; mira concordia vtrivſque ducis, mira pugnacitas, regius miles ſemilarer feſſus militiæ & laboris; Et iam iners, in toto exercitu, obſequii ſpecies. Ad aures Mazzarini, allabens fama Lutetiacæ factionis, non ſinebat quietum hominem; omnibus rebus, in novos dolores compoſitis; Nemo illi mediocriter infenſus, nulli propitii, Hiſpani ad Portas, imminutæ vires, auxilium forſan Burdigalenſibus per mare appulſurum, paucæ regiæ naves ad ſtationem applicitæ; Burdigalæ non minus res afflictæ, in deterius labi, nullâ ſuppetiarum ſpe certâ; etſi contra iactarent. Meditamentum pacifica-

cificationis, fortiter ſedit animo Cardinalis, cui Curia Burdigalenſis opportunè obſtetricata eſt. Non inſtinctu ſed impetu miſſi qui tractationem ordirentur. Raró caret eventu quod duo voluere; Neutri parti continuatio diſcordiæ conducebat. Interfuere & à Senatu Pariſienſi viri delegati, interventu Aureliani. Citò res peracta eſt, ne aliquid contingeret, quod coeuntem reſcinderet pacem, cujus hæc ſumma fuit. *Obliuione ſancita omnia, decreta vtrinque abolita. Condæi Conjugem poſſe frui ſuis redditibus, & Prætorijs pro libitu. Eſpernonium ab Aquitania reuocatum, alio Rectore in ejus vicem ſuffecto.* Nulla autem mentio facta Bullionæi, Nec Rupifoucaldij, idque ex præcito Aureliani mandato, cujus rei Scopus nunquam vulgatus eſt. Interim ſubſignabantur pacta, cum nomine Condeanæ, & Ducum, advenere qui tractationi intereſſent, conſenſu non quæſito, acta comprobantes.

Secundo die Auguſti menſis Ann. 1650, publicatâ pace, ſe feliciter Burdigalæ ſub-

duxere, Femina Princeps; filius Anguianus, ſtirps tot heroüm, qui vix ad pueritiam enatabat, Bullionæus & Rupifoucaldius, cum lecta nobilitatis manu. Obteſtata in diſceſſu Condæa, nunquam hoſpitij Burdigalenſis, apud ſe gratiam vanam fore. Duces, vitam, & quæcunque per eam, carum homines habent, ſemper Burdegalæ debituros. Reverà Regi, populoque Aquitanico, purgati, non fœdam ſui memoriam reliquere, in communionem tantùm periculi vocati, vt falſo creditum, cùm res ſuas privatas intenderent. Sic relicta eſt Budigala, ſive bello, ſive fugæ aptiſſima ſedes, quam tunc non expedivit perdere, etſi funditus perdi poſſet.

Viam exorſi, Condeana & filius Anguianus, cum ſuis clientelis in Meilleræum, ſive caſu, ſive datâ operà, incidere repente; Per comitatem, Ille, in aulam, afflictam domum deduxit, vel rapuit. Non potuit res; niſi facta probari, quia inde Aureliani animus movebatur ſuſpicioni ſemper patens, tanquam de deliberatione principum ſe inſcio ageretur, viro ſemper pavido formidabile telum

Iungi non posse, cum Condæo, Mazzarinum, nisi in sui perniciem, & fœderatæ factionis, meritò existimabat Aurelianus, neque in eo damnanda viri suspicax credulitas. Cum etiam Filia, quæ eò venerat exploratrix, patrem subinde moneret, de signis caritatis in Condæam, & secretis cum Bullionæo, & Rupifoucaldio colloquijs, Vnde, Illa Reginæ invisa, Mazzarino aversa, palàm esse cœpit, apertè postea grassata in vtrunque Caput. Nec res ideo Viraginis melius imposterum cessere; adeò inconsultum, & improvidum semper, aulico favori obniti.

Condæana ad Regis, & Reginæ conspectum admissa, sine vlla vilitatis suspicione, innocentiam suam tacitâ exprobratione ingessit, nullius tamen demissionis verba protulit, sed suppliciter tristis, tantâ modestiâ sermonem commendavit, & tam concinnè mœrens visa; vt in eosdem, cum illâ affectus, sentirent se omnes mutari.

Nihil promissum de Viri liberatione, quam tam ardenter genibus advoluta Regis, &

Reginæ postulavit; sed data copia eundi, quò vellet, & secedendi. Repente relictâ Aulâ per Andegaveses, & Turones Montem rotundum petijt, vbi mariti in libertatem asserti, inculpatâ vitæ normâ mandata expectavit. Bullionæus, & Rupifoucaldius, tantæ remissionis conscij; agere secretò cum Cardinali, excusare armorum necessitatem, nihil profiteri, quam expectare se, vt ex publica fide, tuti esse possent. Notatum, hos duos mortales, non sic auspicatos alienas curas, vt privatam rerum suarum sollicitudinem deponerent. Injectum aliquid de Contij Matrimonio cum Mazzarini nepte, quod postea sequutum per alias artes. Hòc fatendum, Vtrumque ducem valide Cardinalis auribus inculcasse, *Nihil posse ab eo, neque vtilius, neque gloriosius perpetrari; quàm si, nulla vi, nullo alieno suasu, nullo participe, Principes detentos, libertate donaret, Nihil fonditores, nihil ipsum Aurelianum, aliud moliri, quam tantos captiuos juris sui facere, vt postea, & Reginam, & MaZZarinum pessumdarent. Burdegalæ, nunc videri omnia pacata,*

ſed acrius contumaciam belli reſurrecturam in gente ſubitis motibus paratâ, & magis novandis, quam gerendis rebus idonea; ac quandoquidem ipſi partes deſererent; populos Aquitanicos pro duce pervicaſſimum quemque ſecuturos, eò inclinare non Burdigalenſem, ſed Pariſinum Senatum & totius regni Parlamenta, Populos Galliæ, & hujus molem imperij.

Hæc omnia, Mazzarini menti, altiſſimè inſedere; Bono igitur animo, duces eſſe juſſit, & blande dimiſit; ac cum libertatem Principum aut nollet, aut nondum poſſet clarè promittere; per nutus, brevi futuram, inſinuavit. Ex illo vterque, ſed præcipuè Bullioneus Mazzarineus evaſit.

Illicò Burdigalæ arma cecidere, nulli vi excuſſa ſunt. Per cuneos populi muti, timentiſq; peccaſſe. Rex intrat vrbem pavidam, & criminis manifeſtã, quatuor millibus ſelectiſſimorum militum ſtipatus, pompæ ſimul & terrori.

Cardinalis in Palatio Archiepiſcopali, cum Rege hoſpitatus eſt, nec expavit novitatem. Burdigalenſes, aut viri virtutem amare, aut timere felicitatem. Ille reputans ignobilia odia, quæ vltra facta durant, omnibus ignovit. Re-

bellium primarij de eo invisendo deliberare, & Pacisci; Ac quasi vectigal exigere, pretium visitationis. Mazzarinus respuere, nec insoléti petitioni libertatẽ donare. Sic tanto motui secundũ jus, sed magis ex præscripto prudentiæ, exitus datus est. Espernonius, causa mali, exclusus, qui sola virtute poterat emere potestatem.

Cohortibus Prætorianis dimissis, Rex custodiæ Civium se commisit; quod superbæ indoli mirificè gratum. Inde Aula discessit simillimo oblivioni silentio, non solùm odijs abolitis, sed odiorum mentione, pari æquitatis, & clementiæ fama.

Apud Fõtibellaqueum Rex substitit prudẽti Cõsilio, cum Lutetiæ, omnia ferverent, quasi Aquitanicus successus adderet iras factioni, Ibi decretum Principes ex Marcoussio Castello in Havræam arcem tranferre, libertatem tutiùs expectaturos, de quâ solâ quæstio tunc erat inter Aurelianũ, & Mazzarinũ. Illo invito, aut non participe, non poterant transvehi, Ideo multâ pellaciâ opus fuit, vt Fõdâ adversâ Aurelianus in Aulã educeretur. Venit tamẽ ad cultũ Regis, sed nullâ aliâ mente. Regina sola

evicit, vt aſſenſũ pręberet tam optatę tranſvectioni. Igitur 15. Novemb. Ann. 1650. Cõdęus, Cõtius, & Lõgavillęus, vndecim dierũ circuitu, per mediã Neuſtriã, deducti Havram, vbi ſub ejuſdẽ Barrij Cuſtodiâ aſſervati ſunt; Harcurtius quadringentis Equitibus, & pari Peditatu tutum illud iter fecit, ab omni Normannico inſultu, qui certe non fuit timendus, altùm quieſcente omni Captivorum clientelâ.

Chevreuſia irrequieta, ſuo more, Fontibellaqueum venerat, animo ſibi ac Corinthio, Cardinalẽ devinciendi, aut evertendi repugnantẽ. Tandem femina ſagax, impatiens Mazzarineæ cunctationis, in hoc ſolũ intendit, vt Regem Lutetiã alliceret, cujus efficaci Suadelę Regina dedit manus, multũ reluctante Cardinali, qui nõ poterat nisi Lutetiæ perire, extra vrbẽ ſemper de Aureliano, & factione triumphaturus. Cum Principes in carcerẽ compegit, cum non ſpõte, ſed per vim illatã, eos liberavit, cum Chevreuſiæ credidit, redeũdo in vrbẽ, & poſtea ex regno diſcedẽdo, & tandẽ, cũ Corinthio galeri decus procuravit; Illi mens, toties recta, obnubilavit; Hæc omnia in Reginæ gratiã, ad quæ poſteà oculos retorſit, & ægrè feciſſe credit⁹ eſt

Carlota Monmorancia Condei Mater, hoc rerum cardine, decessit, incertum mœrore, an suo fato. Ex favore, vel invidiâ, divisa mulieri fama, moribus æquitas, aliquando constitit, Formæ cura semper; Nulla patientiæ consuetudo, etsi non infrequens illi sors calamitatum, Vanissimo numini plusquã vlla feminarũ indulsit, inter paucissima prudentiæ mométa, sapientiæ tamen imagini semper paruit; Sed plura alibi de femina principe à me dicta sunt.

Obijt eodé fere tépore, Claudius Memmius Avossius, quinquagesimũ quintũ ætatis annũ vix egressus, brevi circulo tantã virtutũ copiã cõplexus, quãtã vix vllus Togatorũ apud Gallos; A primo auspicaméto publicæ lucis, præcipua direxit ad famã, quã rarã indole statim benignã cõsecutus est, & inoffenso rectitudinis tenore, ac ingétibus meritis ad vltimũ culmen perduxit, per Italiã, Germaniã, ac vltimos hominũ Cimbros, & Sarmatas, Gottos, ac Vandalos, prædicatissimis legationib⁹ inclyt⁹; quibus natos ad prælia populos arbitrio suo cõciliavit. Ad vltimũ in Cõventu Monasteriensi, & Osnabrugensi ea præstitit, Paci Sanciendæ,

indu-

industriâ, sollertiâ, & vi animi, vt per eum certè non steterit, quin immenso operi gloriosum corollarium imponeretur; Equestrem dignitatem Regni primariam, à Regis promisso expectans, interim Præfecturâ ærarij donatus est, quâ claro fortique exemplo, se sponte abdicavit, puris manibus, sordibus invictus, & recti pervicax; Anxia posteritas quæret, ex quâ gente effulsit, viva illa imago honesti? ex Memmia, dicam, quæ avulso vno aut altero, metallo simili æternùm frondescit, læta semper virtutum seges, antiquam nec litigiosam nobilitatem, morum splendore quotidie illustrans.

Nunc ad extera, quæ in perniciem Galliæ, in Italia, Belgio, & præsertim, Catalaunia, invalescebant, ibi enim Flixium ad Iberum flumen arx magni momenti, & Tortosam maritimam vrbem, Miravetum, & Falsetum ac alia loca nobis Mortara eripuit. Fuit ille dux exercitus Hispanici, qui quinque millia equitum, & simul peditum non excessit, sed tam invalidæ erant tunc Galliæ vires, & tanta penuria omnium rerum, vt

Mercurius, Prorex ad extrema adactus, coactus sit redire, relicto Sanmegrino Provinciæ, & belli curâ, Balthazare vtcunque secundante.

Hæc omnia accepta referuntur Fondæ Parisinæ, quam infamiæ notam nulla dies abolebit. In tantâ rerum calamitate, per totum tractum Catalaunicum, Militi nostro, nec animus, nec obsequium, nec pecunia suppetebat. Arcibus impositi, more Gallico, adjacentia populari, & vastare, & cùm omnia corrasissent, extremam quasi animam exigere, inde desperatio, quæ ignavissimo fortitudinem addit. Iosephus Margaretus vbique consilio, & vigili cura opitulari, mille insidias ab Hispanis structas, exire. Quid faceret tam perditis, & afflictis rebus? Nullus nostratium incorruptiorem fidem Galliæ præstitit, hoc Margareto, quem postea vidimus extorrem, peregrinum cœlum ducere, solis aduersis pastum, & immortali in Iberos odio, spe veniæ sive spretâ, sive nullâ.

In Picardiâ nihil Hispanus invasit, nisi loca imbellia, & obnoxia primo occu-

panti; nam Laodunum, & Suessiones sola auctoritas Estreensis Polemarchi, aduersus vim hostilem, intacta servavit; Brennæ Fuensaldagnius, aliquandiu substitit, infensans pabula, nam quid aliud, ab eo patratum?

Pralinus in Campaniâ Remos tuitus est; Nihil in vicinia, præter desolationẽ villarũ, damni illatum, si Hoquincurtij, magis quærendis, quam cavẽdis periculis idonei, vnicum casum excipias; Sed notiora ista, meo stilo non egẽt. Percrebrescente famâ de rebus in Aquitaniâ prosperè gestis, Leopoldus, cum equitatus parte, Bruxellas properè se recepit, ne cedere minus decore, sub ipsũ Regis adventũ, videretur.

Interim Ioiosius Granpreus, Mozomij ad Mosam inter Stenacum & Sedanum Præfectus, maiori animo, quam mente, partes, Condæi feruidè, vt solet omnia, amplexatus, in hoc deceptus erat, quod nudâ tantum personâ res Principis auxerat, Mozomio in obsequio Regio perseverante, ruptâ gubernatori fide; Ille ferox, manu, & subito Consilio præceps non satis concoquens præsidji audaciam, eam vindicare sa-

tagit, ac Fuenſaldagnium cum Gamarra, ad Mozomij obſidionem impellit, quo capto, nihilominus à cauto Hiſpano, non recepit præfecturam. Inde ægreſcens, & à Condæo liberato, non ex merito habitus, gratiâ regis, & Mozomio ſuo, per Fabertum deprecatorem, potitus eſt; Poſt non vno fortitudinis documento, oſtendit quantum virtutis in Granpreo, directâ acie, in agminibus, in eruptionibus, & vbique, quaſi deeſſet fortunæ deſtruendi locus, vltra fortem temerarius, & felix, vel ſolo Silleriaco prœlio adverſus Condæanos.

Poſt ſucceſſum Mozomij, Turenius inter Moſam & Axonam, per hiberna exercitum lacerum deducit, Fuenſaldagnius diſcedit, (Conſultius erat vnitim hybernare) nullâ in Gallia expeditione factâ, quæ pondus eſſet aut momentum rerum; nam quid nugacius, per apparatum faſtoſum, de populatione ruſticorum, de Cataleto, Rethelio, & Mozomio triumphaſſe.

Quanta trepidatione ingreſſi Hiſpani, tantâ alacritate diſceſſere, relicto Turenio, & Ga-

mara, qui brevi pœnas dedere infaustæ mansionis; Nec ostentus ille vanus, aut Principes liberavit, aut auxit animos corruptæ fidei, aut fondæ profuit, sed tantùm scenæ rerum inservijt, parvâ clade in mixturâ Aquitanitaci successus.

Aula lutetiæ redditur, vbi omnia præcipitia; Mazzarinus pestifero reditu agnito, satius duxit, repulsis externis, quod alienum esset, vincere, quam quod erat domesticum, superare.

Remos, cadente Novemb. An. 1650. adventat magnâ belli pompâ; exercitus duodecim millium erat, lectissima manus, Dux Pralinus fuit, semper strenuus & fidelis (& nescio an gestis viri, passim claris, præmia, vnquam digna data sint.)

Obsidio Retheliana decernitur. *Vrbecula est, ad Axonam varietate fortunæ, potius quam aliâ re, famosa; dominos mutavit toties dominis, & hostes hostibus, tanquam pila alternis jactata; felix vbertate soli; ibi semper dissidentium prima Castra; bello natam silices vivi, quibus strata, indicant.* Ioannes Delipontius Nepolitanus ducentis Equitibus, & mille quin-

gentis peditibus, incubabat defensioni; sed assultatim Galli, suburbio statim perrupto, & muris vetustate & incuriâ labentibus, vim admovent. Triduò post, tantæ aggressioni impar Delipontius deditionis pacta subsignavit, & ante diem dictum, exijt; Tanta fuit trepidatio! etsi Turenij spes affulgeret, qui appropinquans suppetiaturus, auditâ apud Tugnium deditione, retrocessit. Cardinalis Rethelium properè se contulit animos & consilia præsens allaturus; Pralinus jam Turenio obviaverat, justo prœlio decernere certus.

Doluit Turenio, commodis hybernis? sic depelli, quò se reciperet nescio, & magis Rethelium turpiter amissum, peracto negotio, à duabus solis cohortibus; (nam moles Gallici exercitus, spretâ obsidione, per densa tenebrarum, hostem quærebat.)

Pralinus per Hoquincurtium, & Rosam Germanum, certior fit, non longe abijsse Turenium, sed in proxima valle Bourgicâ, pugnæ se accingere, quod per triplicem tormentorum explosionem, suos monuerat; Brevi vterque exercitus, horæ sci-

licet ſpatio, per lineas æquediſtantes incedere; Quiſque loci opportunitatem quærere, Turenius expectare Lotharingos, quorum adventu roboratus, non amplius tergiverſari, ſed fortunæ ſummam rerum committere.

Dies erat Decembris quintus decimus, Ann. 1650. ſtipato nubibus cœlo, Pagus proximus, decretoriæ planitiei, Sompius vulgo dicitur, mapalia rectius diceres. Apud Turenium Equitatus ad quinque; Peditatus ad quatuor millia accedebat; Lotharingi per Lignevilleum, & Fougeum Sabaudum, Valones per San-Mariam, Germani per Lanavum regebantur. Aderant & Galli rebelles; Præcedebant, Croatæ Ferentarij, Rozarij ſunt Romanorum,) qui levi armatura prælium primi committunt, vt ante pluvias, cælum rorare ſolet. In fronte ſex tormenta locata, vt juſtum prælium dici poſſet.

Acies Gallorum perite inſtructa, & flos fuit veteranæ militiæ, inter quam maximè inſignes, Villequierius & Hoquincurtius, Navallius, Manicampius, Pradellus, Invilleus, ac non pauci alij vſu belli exer-

citu, ad decem millia aſcendit moles vniverſa, cum ſuis tormentis; ea fuere leviora Pralinus in alæ dextræ fronte conſpicuus mandata partiebatur; Turenius, ſicut ejus mos, alæ ſuæ ſiniſtræ pæerat; Præcipuus conflictus ad dextram noſtram vbi perijt filius Pralini, magna indole virtutum; Duraſſius, & Bouttevilleus cum Beauvoſſio, & Montolierio penetrarunt primo impetu, omnia noſtra, vſque ad tormentorum ſtationes, Manicampius Lotharingos primus rupit. Supervenit Villequierius, qui magnum pondus addidit victoriæ nutanti & incertæ. Lanaus qui quinque cohortibus Germanicis imperitabat, captus, cæſo equo, terrori ſuis fuit, & hîc cœpit mutari anceps anteà rerum facies; capti eodem momento Lignevilleus, & Fongeus Lotharingis ſuis cedendi occaſionem præbuere, Tunc manifeſte inclinavit in Gallos victoria; quippe Turenius vulnerato Equo, nihil expeditè amplius agere, quinimmo parùm abfuit, quin vivus in manus hoſtium pervenerit, & feciſſet, niſi beneficio Equi com-

commodati, evasisset, per dolum, se Gallum professus. Quicquid in vtraque ala Turenij erat, captum, aut cæsum, & sola, illius cohors ad extremum duravit. Captivi facti Bouttevilleus, Gamarra, Lignevilleus Sanquintinus, Hocourtius, timbalis & signis amissis; In acie Gallorum præter Pralini Filium, Alvimarius, Corvaldius, Valeus, Bensius, & Frater Rosæ periere, ac quingenti circiter ex gregario milite.

Turenius, per Barleducum, Stenacum se recepit ad Longavilleam, quæ conscia cladis acceptæ, etsi merens, Fortiter tamen per Leopoldum oblata, recusabat, id est Asylum apud Belgas. Interim Castellum Porcinum, Asilium, Quatrocampium, Bouzancium, Guncourcium, Carbonum, Beaumontium, & similia vltra Axonam ab Hispanis occupata, sponte ad suos Gallos, rediere. Seneterreus per Lotharingiam latè dominari, non paucis vrbeculis & oppidis in potestatem suam redactis.

Talem exitum habuit pugna Retheliaca, vbi consilia Cardinalis, & virtus Pralini

triumpharunt, ad invidiam, quæ ſtatim ſecuta agminatim, omnia Mazzarinea evertit, ita ſolertia ſolet, Fortunæ vt plurimum occumbere.

Victoriæ amplificandæ, & pluribus munimentis comparandis, Polemarchatus gregarius factus eſt, & quaſi fuſus in examen. Villequierius Aumontius poſtea dictus, Hoquincurtius, Seneterreus, & in gratiam Aureliani Ferteus Imbauſſius, dignitate inſigniti. Granceus offenſus, quod non permixtum ſe videret gregi polemarchorum, Gravelinam, in præfecturam ſuam ſeceſſit, multa minatus, quibus poſtea, annitente Aureliano, voti ſummam conſecutus eſt, ne alioquin Gravelina periclitaretur, Aurelianici triumphi ſumma caputque.

Inoleverat id moris, cuncta per minas impetrandi, nec alia, tunc temporis, ad opes & honores, paratior via. Hæc, vt ſimilia, in Galliam induxit, non tam ſæcli calamitas, quam effrenis licentia Aulæ, illo præſertim tempore ſuperbientis. Mazzarinus oppreſſus omnia polliceri, dummodo,

tantillo ſpatio , ſe ab ærumnis vindicaret , molli ad negandum Fronte , atque vt aqua in lævi ligno aut lapide facile ducentis digitos ſequitur , ſic Ille petitiones , quarum nullus finis ; quotis Gallus ſeſſorem ſentit invalidum ; abutitur ſine modo lenitate Regentis , à fiduciâ veniæ, factâ peccandi licentiâ. Non regitur niſi metu , populus levis , nec vllus mortalium intrariùs novit in dolem gentis, Armando Richelio , primo auctore Galliæ capiſtrandæ , & repertore terroris.

Triſtiora Mazzarino fuere , à victoriâ, quam à bello diſcrimina ; Factio lutetiæ ſævior, ſed id per arcana conſilia ; nuſquam effutire aliquid , aut impremeditatè loqui , vbique altum ſilentium , aut verba inſidioſa, pejora ſilentio ; qui attocius Mazzarino nocebant , ipſi inclinatiores videri ; eum vocare in aulam , percepturum fructum victoriarum ; & quæ artium Aulicarum , ars eſt pervicaciſſima , amicitiam fingere, odio atrociorem , vt maligna inſerentibus ineſſet major fides , timendum virus , ab ijs præ-

ſertim qui conſilijs incubant, & viſceribus hærent.

Subolvere artes Cardinali ſagaci, ſed aut Reginæ invaletudo, aut fati malignitas vltimo Decembris 1650. in vrbem, reduxit vbi ſola ſucceſſuum ſeries, illi exitio fuit, vt Athenis, per oſtraciſmum mulctatis.

Senatus, qui hactenus ſibi temperaverat; Aurelianus, qui nolebat expulſum Mazzarinum, Fonda, quæ tanquam ſpeciem & inutile ſimulacrum eum retinere, ſuæ putabat intereſſe, vno impetu, virum adoriuntur.

Talis omnis commotio fatalis ſemper eſt, nec poteſt vllâ normâ comprimi, aut cohiberi. Argumentum ſeceſſionis liberatio principum; quam quiſque optat non vno obtentu. Corinthius erat ſpiritus vitalis, quem totus cœtus tunc trahebat; ſolus annitebatur, non vt principibus libertas conſtaret, ſed lutetiam deducerentur, cuſtodiâ minus arctâ, vt poſtea, expulſo Mazzarino pto libitu, aut ipſe liberaret captivos, aut, ſtrictius detineret; ita Fondæ, Senatui, Aureliano demùm, juvante etiam Cheureuſiâ,

ſe inſinuaret, vt facile princeps partium eſſet, & galerum, per turbida brevi adepturus, ſuppremum miniſterium per turbidiora adipiſceretur; quaſi Gallia ad ſui regimen æternum purpurâ indigeret, quæ decentius Romam ad proprium larem ablegaretur.

Aurelianus per Corinthium, vt plurimùm, Senatum adire, rata facere, quæ ſuo nomine proferret, etſi interdum ea audaciter, quæ nec cum gravitate audientium, nec cum charactere dicentis convenirent; etiam aſperare conventum, in Mazzarinum, à quo referebat Cromwelios & Farfaxios Senatores viros bonos dici, qui tantùm devij, à ſenſu aulico, bono publico attendebant; inde captata occaſione criminandi & decernendi in Cardinalem auctorem, vt ajebat, malorum omnium; ſemper liberationis Principum obductâ laruâ; Non ſemel à Regina prohibiti tales cœtus, ſemper retenti, & facti frequentiores. Aurelianus ipſe, & domus & conjugis immemor inpranſus, ſolidos dies dare Senatui, vrgere eliminationem Mazzarini, & ſine fine captivorum liberta-

tem. A Reginâ autem, quod hactenus non factum, disparari, non amplius ei adesse, nec precibus vllis impelli, vt vel alloquio eam dignaretur, donec libertate donati Principes, & pulsus bona fide vltra regni fines Mazzarinus; Senatus per supplicia monita, idem Reginæ inculcare, sed Moleus Princeps Senatus graviter, & facundè apud eam peroravit; *Non amplius tergiuersandum, nec nectendus vlterius moras; Illustres Captiuos liberandos, nec cæcis tenebris diutius posse detineri, absque jacturâ Gallici obsequij, cujus profuga jam species, in apertam rebellionem erumpebat, nisi prospiceretur imminentibus malis; Non æquum nec decorum Regis Patruum, cedere advenæ, alterutri discedendum; Satius autem peregrinum causam discordiarum nullâ vi adhuc illatâ illæsum abire; Quam Ducem Aurelianum, non amplius interesse Consilijs, & omnia susque deque verti.*

His auditis non vltra de discessu Cardinalis deliberatum. Optimates Regiarum partium se se offerre, quasi vi armata, & immissis copijs asserendus esset Mazzarinus,

qui hæc omnia fluxa reputavit; Nec ſapiens fidet vnquam talibus promiſſis, rebus adverſis, ſemper evaneſcentibus.

Cubovilio, quod oppidum eſt Normandiæ, Havrâ non procul, litteræ à tribus Principibus ad Senatum exaratæ, & redditæ, quibus Illuſtres Captivi proculcatas leges, & inania jura invocabant. Pariter & ſupplices libelli à Condeana & Longavillei filia, patribus oblati; qui arbitri tunc fuere Galliæ diſſidentis. Aſſeclæ principum animos ſumere à ſucceſſu, & moliri tractationes, quod mirum, ſecretas, in vrbe nihil tacente, quarum ſumma fuit. Liberandos quoquo modo Principes, Matrimonium Anguiani Condei Filij, cum Alenconia Aureliani Secundogenita & Contij cum Chevreuſiæ nata vnica, Galerum Corinthio procurandum, & quod caput eſt, Mazzarinum ablegandum. Hæc omnia curavit Corinthius ab Aureliano ſubſcribi, Beaufortio inſcio, effuſuro alioquin in Monbazoniæ ſinum, omne arcanum, quod poſtea penetratum aſtutiâ Cardinalis, funditus & captivos, ante

libertatem, & machinam rerum inchoaturos, evertebat.

Hæc omnia Hauram ſingulis horis perferebantur, & reſponſa Condei referebantur Lutetiam, quaſi plena libertas captivorum jam eſſet, commercio non permiſſo, ſed indicto, pretio occupatis famulis, medicis, & cuſtodiæ Principum appoſitis, Barrio ſollicito ſed ignaro, & magno conatu nihil agente. Quis non mirabitur tantam taciturnitatem in gente effutitrice; &, quod demet miraculo fidem, id per feminas perpetrari, non ſolum effectrices voluptatum, ſed amicitiæ fautrices, in hoc negotio fideliſſimas; Res prodigioſa! nam quid non lubricum, à tam lubrico ſexu, inter tot ſubſellores alieni Matrimonij, & blanditias, quæ maximè ad muliebre ingenium, efficaces preces ſunt.

Reginæ ſcopus, differre, protrahere ad pubertatem Regis, quâ omnia aut rata, aut invalida futura; Aureliani, conjugis, & Filiæ grandis, liberare Principes, coercendo non extinguendo Mazzarino. Eadem mens

Senatus

Senatus & Fondæ. Solus Corinthius pessumdare fonditus Mazzarinum, & per galerum dominari. Castellonovus in omnia rectè faciendi, quam vllius emolumenti cupidus, & cujus carcer honoratior successorum imperio fuit, non poterat pati Reginæ vilipendium! ideò advocatis amicis Principum, æquas proposuit conditiones quibus libertatem soli Regi, non factioni deberent. Excepta hæc & æqui bonique consulta, quippe metu, ne Aurelianus pulsoMazzarino, rerum potens, per consilia Corinthij, non seriò liberationi detentorum incumberet, satius forsan ducens, in quibus rebus primus & solus esse deberet, non socium Condeum adjungere.

Sed hæc omnia frustrà, quia Cardinalis forsan præcipiti festinatione, vt quidam voluere, omnia antevertit, & abijt, ac Principes perse liberavit, vt sequenti libro Fusius narrabitur.

Nihil autem efficacius Mazzarinum, ad discessum impulit, quam vrbis commotæ species. Æstuabat illud mare populi fre-

mentis; atque in his, vt præteritis ſeditionibus, hæc vis Plebis fuit, vt grande fieret omnium rerum momentum. In hoc igitur annitendum, ne vnquam excitetur, cum ſemel excitata, nullas habenas audiat; Sed quid eſt, quæret peregrinus aliquis, quod Plebs, quod Vrbs in hac parte vocatur? Frequentia illa quæ Lutetiæ viſitur, cui vix immenſa tecta ſufficiunt; Maxima pars illius turbæ, patriâ caret; Incolæ exteri ſunt. Iube hos omnes ad nomen citari & vnde domo quiſque ſit, pete, Videbis relictis ſedibus veniſſe confertim in Vrbem, quæ nulli ſe negans, facta eſt totius terræ patria communis, per lutum illud ſcitè mixtum, quia ibi ingentia præmia virtutibus, majora vitijs ponuntur.

LIBRI QVINTI

FINIS.

BENIAMINI PRIOLI
DE REBVS GALLICIS,
HISTORIARVM
LIBER SEXTVS.

A liberatione Principum, & discessu MazZarini, non sequuta alma faustitas, vt sperabatur; Nec Publica Res jactata, ideò constituta est, sed omnia graviora. Condeus Regimen & Ministros culpat, & abdicat. Aquitaniæ Præfecturam, spretâ tunc Burgundiâ, extorquet; Sedem aptam sic eligens motui futuro. Secedit, Civiles tumultus recrudescunt, & oritur tertium bellum Burdegalicum. Inde revocatur MaZZarinus, scilicet suppetiaturus, Regi per factionem iterum laboranti. Procuratur ab invidis, Cardinali decus, infortunij loco.

IMPETV victis proborum consilijs, necessaria speciosis præponens, Tempori & Rebus se subduxit Mazzarinus, quem exegisse ex Galliâ; ingens factioni victoria fuit; quippe

qui genij sui magnitudine partes Regias hactenus extulerat, & quo extincto, vel absente, faciliora omnia à Reginâ sperabantur; Hinc omni metu remoto, non gradu, sed præcipiti cursu, ab obsequio descitum, ad omnem libertatem conversâ civitate; ita vt quæ cogere se putabat posse, rogare non amplius sustineret.

Ad Sextum Februarij mensis, Ann. 1651. nocte illuni, furtivo egressu, dissimilem dignitati indutus habitum, ducentis circiter equitibus stipatus, Cardinalis, Equo vectus, apud Fanum Sancti Germani se recepit, viæ duce Harcurtio, Aulicæ potentiæ semper ministro; Diem immoratus; varijs consilijs & rumoribus, qui Lutetia afferebantur, auditis, & spretis; Hauram versus, per mediam Neustriam, magnifico comitatu populis spectantibus, iter instituit; Eadem oris constantia, quæ valenti adfuerat, abeuntem comitabatur; *Nullum magni animi certius indicium qnàm non cedere ad incurrentem & adversantem aliquam sortem.*

Sine vlla ostentatione agendi, vt ejus mos,

quæ agenda erant, curaverat; moribus vigore ac lenitate ita mixtis, vt nullus tranquillitatem validius diligeret, aut facilius sufficeret tempestati; Vbi res vigiliam exigeret; semper exsomnis; Tantum in illo, discordante fortunâ, vt cui modo ad victorias, terra defuisse videretur, deesset perfugium & Asyli locus; Ac, quod non credibile, inter tot devinctos; Pauci opem præberent! *Quis vllam Calamitosis putat gratiam deberi, aut in adversis beneficiorum servat memoriam, aut quando fortuna non mutat fidem?* Si quis fructum ex eo tulisset, invidiam in auctorem relegare, censereque, æquum, quæ acceperat à Mazzarino, retinere, Mazzarinum autem, qui dederat, abire, aut perire.

Sed neque Lutetia securam se sperarabat, si nomen vsquam stantis maneret Cardinalis; In omnes semper venturus, ab omnibus timebatur; & ad augendam invidiam simulabatur metus; Ergo Senatus per decreta sævire, vt regno prorsus eliminaretur, & continuis actionibus, memoriæ exeuntis, perpetuas notas inurere, plebes continua

rabie lacerare; adeò partium certaminibus orta illa odia, vltra metum durant qui nullus tamen amplius ab illo imminebat. Primum facinus fuit; Regem ac Reginam acri custodiâ tenere, ne tanquam assecuturi Mazzarinum, fraude aliquâ, exitu dissimulato, evaderent. Penes Aurelianum summa potestas, qui nullis Regentis precibus adduci potuit, vt Consilio interesset; negans hoc se præstiturum, nisi principibus è carcere eductis; quod fideliter primis diebus exsecutus est; Seu Corinthio mentem Gastonis, cæterâ labilem, firmante, seu Gasto ipse, qui toties luerat levitatis pœnas; adversus exitiale malum, se aliquot dierum fortitudine, munivisset. Chevreusia mille artes exercere, nunc in gratiam captivorum, tanquam futura socrus; Nunc Aureliano per se, nunc per Corinthium, & Castellonovum! Nunc largam se Mazzarino præbere, Cujus abitionis maxima fuerat conciliatrix, tanquam, hoc lenocinio opus foret ad mentem Aureliani, obsequio semper contenti, molliendam aut fascinandam: Sic Aula Gallica tunc rege-

batur; Plusquam vllus Mortalium, hæc Cardinalis & similia pervidit; ex profonda indagine ejusmodi indolis, omnia tandem consecutus.

Harcurtius à Sancto Germano, Lutetiam rediit, & fere plebis furore oppressus est, non tam quod Mazzarino in abitu fidam operam navasset, quàm quòd de naviculâ conducenda egisset cum nautis, pessimo hominum genere, qui re evulgatâ non levem tumultum excitavere, quasi Regi & Reginæ evadendi via pararetur; id scilicet nautarum valde, intererat! Mancinus Mazzarini nepos avunculum assecutus est, Neptes furtim elapsæ, Hoquincurtiæ fidei traditæ, Peronam deductæ sunt, sic tanquam vno loco iacere domûs ruina non posset; toto orbe spargitur.

Non adeò tamen virtutum sterile tempus fuit, vt non aliquorum se prodiderit contumax fides Regi & Reginæ servata, præsertim quorum causa, non Mazzarini erat; instigante privato emolumento, vt eventus adstipulatus est; Sed omnibus, etiam fa-

ctiosis, quicquid hi & illi, aut occultè, aut tumultuando, adipisci gestiebant, quietis, per Mazzarinum Regina obtulisset; *At difficilis Gallis vt cunque conceptæ spei mora est, ideo à rectis in devia, à deuijs in prava, à pravis in præcipitia cito apud illos pervenitur.*

Non cinctus eâ coronâ, non stipatus eâ frequentia, quâ solebat, Neustricum iter ementus est Cardinalis; Illi tamen adfuere Destradius, Plesseus, Beliereus, ac viginti circiter non vulgaris nobilitatis, cum ducentûm equitûm ala, quæ à Paluaussio regebatur; Injussi comites, aliquid, expiscaturi à profugo, non nulli per inquisitionem, paucicurâ; Iactare omnes adita in egressu pericula, à plumbeâ, ex ædibus Aurelianæ, grandinatione; *Pene*, aiebant *excussi fuimus ab equis & MaZZarini, per opprobrium vocitati*, Ronserolius capite fasciato, in conspectu crebro Mazzarini, mane & vespere, etsi nullum erat vulnus, tamen illud nullum sollicitè curare; ostentui glorioso. Varii vltrò citròque sermones; Alii, *Havram rectà petere Cardinalem, vt se cum principibus*

inclu-

includeret, pacta ex commodo sanciturum ; Alij *Vt eos sine morâ educeret , Lutetiam confestim rediturus ;* Alij *Vt quidem liberaret, sed ipse in arce Haureâ remaneret , donec turbæ consilescerent atque iræ lenirent*; & hoc propius vero , Quisque autem pro suo sensu, & forsan non pro sensu, sed per simulationem. Ad tertiam metationem cultus in Mazzarinum obsolescere, neque enim Gallorum est, nisi eos severè habeas , diu in obsequio permanere. Pro præsenti sorte blandus in omnes Cardinalis, ideoque statim despectui, perrumpi, non intrari ejus cubiculum , tumultuariè mensæ adsidere, rapere non sumere cibos, garrire, ac se mutuò interpellare, qui antea humillimi assentatores ; Eques lascivire, & in oblatos greges,& armenta grassari ; Neustrii, vel minimam damni speciem ferre indociles, armari , & de pecore abacto ad Mazzarinum querelas deferre ; Hæc tunc præcipua viri cura, qui repente per Palvaussium reddi rapta jubebat, aut damnum sarciri ex æquo ; malignè parebatur.

Singulis diebus à Reginâ litteræ quibus

bono animo esse jubebatur, & de reditu, ipsius Regis manu, certior fiebat; de quo nec Mazzarinus vnquam dubitavit, ea erat fati fiducia & fortunæ securitas quæ se, vt ajebat, tantis auctibus, ad tale fastigium non extulerat, vt medio cursu abijceret, propter innocentes pro Rege cum æmulis contentiones; Nec falsò se vnquam aliquid auguratum, asserebat.

Interim in vrbe Aurelianus pro libertate Principum strenuè agere, & vnitim cum Senatu, & Fonditoribus evincere, vt nullâ morâ, cum mandatis Regis & Reginæ, & litteris, vt vocant, Sigilli, Rupifoucaldius, Vrillierius, Violeus, & Comingius, delegarentur ad principes liberandos, quibus emissis, Tunc Aurelianus Regi, Reginæ & consilio interfuit, ac præfuit, postquam per Senatus decretum, consentiente Reginâ, rigidè cavisset de dicessu irreduci irrevocabilis Mazzarini, qui his auditis festinandum ratus, (ne delegati, qui iam in viâ erant, liberatorum principum meritum, in se derivarent,) Hauram decimo tertio

Februarii 1650. manè pervenit. Iam, vt dictum, Gramontius, Lioneus, & nomine Aureliani, Goulaſſius præceſſerant ſpeculaturi Condeum, obtentu liberationis. Ille mille modis & artibus, præter arcanas notas, certior in dies fiebat, non solùm de ſummâ rerum ſed de reculis minutiſſimis; Iam non carcer Haura, ſed apertæ nundinæ, ita omne genus mercium emebatur, & vendebatur, Barrio cuſtodiæ incubante, nec ſtolido nec conſcio, ſed ſepto Corruptorum, grege. Non de libertate amplius agi, ſed de merito & præmio liberationis, quod quiſque ſibi arrogabat. *Si quis Midas fuiſſe fingatur, qui omnia tactu faciebat aurea, defecerit inaurare, quod iſti petebant; aut ſi implueret Condeus aureum imbrem, non fuerit par expectatæ ſolutioni.* Hæc fuere verba Mazzarini, Ac reverà facilè fuit coniectare Principi, extra carcerem, quidem brevi futurum, includendum arctiori, per petacitatem; Graviſſimum onus erat Chevreuſia, propter promiſſos hymenæos, id eſt Contii cum filia Matrimonium, de quo in animo Condei, ne ſuſ-

picio quidem fuit vnquam. Quiſque captivorum merces fiebat ſuæ libertatis, Factio vniverſa, diverſiſſimas mentes ſub vno in Mazzarinum odio, componebat; cuius animus in Condeum fuerat ſemper pronus; Nonnullos Cardinalis validius amavit, neminem validius æſtimavit; Princeps potentiâ ſuâ ad impotentiam vſus, res proprias evertit, ac eo nomine, quod ſe timeri credebat, averſatus per contemptum aut per diffidentiam, omnia oblata; immedicabile vlcus, cauſa tot malorum.

Mazzarinus equitatu in proximos pagos diſtributo cum familiâ Hauram intravit; Arcem ſolus cum Paluauſſio & me ſubijt; Terrâ marique exploſa tormenta in intrantis cultum. Lioneus ad tertium lapidem præceſſerat opportuna ſine dubio moniturus, Barrius ad Vrbis, Gramontius ad Portam Arcis obviavit; Collatis conſilijs, poſtmodum Cardinalis ocreatus & palliatus ad cubiculum principum deducitur. Quibus blandè & reverenter ſalutatis, Reginæ, Barrio litteras tradit, quarum Sententia, *Vt omnia ex*

mandato Cardinalis pro principum libertate exsequeretur; Tum obversus ad Condeum; *Libertatem*, inquit, *per me, Regina tibi donat; Oblivifcere carceris, perge Regem & Reginam amare & me tibi æternum addictum.* Respondit, Condeus, *se gratias Reginæ agere ob sibi sui jura reddita. Se regis, & regni commoda promoturum, vt olim fecerat, MaZZarino autem devinctum, & omnis injuriæ immemorem;* Cum Condeus aspiceret Cardinalem, Cardinalis Condeum, alter alteri poterat esse solatio. Vix hora, ante Meridiem decima appetebat; Cum omnes mensæ assident. Mazzarinus mero cyatho defuso, reditum principum in Aulam prosequutus est; Illi vicissim, Lyei latices libare Mazzarino; Mensa brevis fuit & prandium perfunctorium; Mazzarino quasi extrudente, ne per adventitiam, appropinquantis delegationis, beneficium, jam libertatis acceptæ, corrumperetur; Longavilleus primus, hinc Contius exijt, vterque in Gramontij rhedam se præcipiti gressu, conjecit. Condeus in cubiculo carcerario, (à tribus lectis, tri-

clinium poterat dici) cum Cardinali aliquandiu remansit. Multa vltrò citròque; Summa verborum Mazzarini hæc fuit; *Aurelianum causam carceris fuisse, Corinthio procurante, cæterum, non posse Condeum consultiùs agere, quam Regi & Reginæ se totum mancipare, abolendæ factioni. Quicquid munitum in Galliâ per clientelas MaZZarini regebatur, id omne Condei fore, dummodò, ipse Condeus, Regis & Reginæ foret.* Mercurium & Espernonium, destinatâ mentione, commendavit; Cæterum de summa rerum cum Lioneo, si placeret, ageret, cui arcanos sensus crediderat. Ex illo, penes Lioneum, fuit summa potestas, laboris ac fidei capacissimum, actu otiosis simillimum, vultu vitaque semper tranquillum, animo exsomnem; Hunc Mazzarinus, per omnia, singularem onerum adjutorem habuit. Comitatus principem Cardinalis, rhedæ impositum, salutatione decorâ ac pene submissâ, prosequutus est. Condeus, nullo grati animi signo, discessum Rhedario imperavit. Habuit in his omnibus nostra mediocritas locum; nihil

imputo posteritati, nisi oculis & auribus exploratum.

Per Hauram, inter populi plausus, & bonbardarum strepitus; Rheda Principibus, Gramontio & Goulassio plena, ibat ovans; Ad quartam Leucam, in Castello Gromenio, pernoctatum est; Eò advenere, quasi momento indicto, Rupifoucaldius, Vrillereus, & Violeus; Amplexus & gaudia, fuere, & in cœnâ liberè potitatum. Lioneus curis Mazzarini gravidus, assequutus Principes, frigidiusculè exceptus, per pernices dispositos equos, Reginæ se sistit singula narraturus; Principes per Rothomagum, Magnium, Pontizaram, & Sancti Dionysij fanum properè Lutetiam venere; quò propiores Vrbi, Mazzarini incuriosiores, & infensiores notabantur; Toto itinere, multa obliquè, multa clarè, in ejus despectum & ludibrium; Nec Harcurtio parcebatur, qui per mediam Neustritiam, nullo hiscente, ex Longavillei clientelis, Principes deduxerat, tanquam præfectus Mariscallorum, ita vulgò dicitur.

Iam tunc emunctis ſubolvit, ea Condeum animo moliri, quæ neque cum tranquillitate publicâ, neque cum recentibus promiſſis, congruebant. Aurelianus magno comitatu obviam proceſſit, & rhedâ excedens, arctis complexibus, Condeum ſuo alligavit pectori, & ad Regem & Reginam repente in obſequium deduxit. Lætitia illius diei, concurſusque civitatis, tanquam redditis regno præſidijs, non verbis exprimi, & fortaſſe, vix mereri fidem poteſt. At vero Militi, conſpecto Condeo, elicitæ gaudio lacrimæ, ſalutationis novâ exſultatione, & contingendi cupiditate; *Videmus te, ô Princeps noſter, ſalvum recipimus; ego tecum in Flandria, tecum in Germaniâ, tecum in Hiſpaniâ, triumphavi, Te duce Danubij & Rheni agmina noſtra, percurſavere ripas; quas admirationis famâ conjunxiſti.* Omnibus, ſalutis, quietis, pacis, tranquillitatis ſpes certa refulgebat, adeò, vt nec plus ſperari potuerit, nec ſpei infelicius reſponderi.

In Aureliani ædibus, hac nocte cœnatum, vbi laxatis libertatis habenis, vini innumeri

hauſtus

haustus sumpti, detestationi Mazzarini, cui Hauræ incluso, neque Barrij, neque militis satis obsequium competebat; Quippe, qui Barrius ab Esguillionia penderet; Illa quidem à Rege, sed ab Aureliano, & Senatu, ac Fondà, ita pressa, Vt tutò non posset diutius commodare hospitium Hauræ, Cum per decreta publica, omni ditione Gallicâ arceretur Cardinalis, nec cuiquam, ex præfectis arcium liceret, si versoriam ad eos caperet; perfugium præbere. Nunc sequitur, vt quæ Mazzarinus, & quæ æmuli gesserint, ad ejus vsque reditum, fideliter & brevi vt meus mos, exsequar.

Vix, cum Lutetiâ excessit Cardinalis, ad sumptus itineris pecunia suppetebat; Conquisita vndiquaque, etiam suppellectilis parte oppigneratâ; ideò minus mirandum, si probatis angustijs, attentior ad rem, ab exilio fuerit; Accepto igitur, per fidos cursores pecuniario Auxilio, post aliquot dies, componendo animo, & rebus, In Haureâ arce insumptos, discessit; & centum Equitibus stipatus Dorlantium petijt, quò Regina

Beringamium cum Ruvignio delegavit, monituros ſuo nomine, vt quàm properè fieri poſſet, Galliâ totâ, excederet; omnia eſſe in proclivi. Inter tot mala, nihil illi moleſtius, quàm, quòd Reginæ doloris cauſa eſſet. Tergiverſanter ſe viæ commiſit, fortiter poſtea omnia exſequuturus, anteactorum comparationem, magnanimitate vicit, ita vt potius feliciter de regno migrare, quam fugere videretur; Alſatiam aut Ditionem Electoris Colonienſis, animo verſabat, & interim per Peronam, Feram, Rethelium victoriâ nuper peragratum, & Barleducum, Cleromontii ſubſtitit, à Seneterreo, ſpretis Senatus decretis, honorificè exceptus; Ibi certior factus, de Colonienſis Archiepiſcopi prono in ſe animo; Talem ſeceſſum, Alſatiæ prætulit, & ideò Sedanum iter flexit, vbi à Faberto, Hoquincurtio, Navalio, Mondeiuſſio, Broglio opera fortis & fidelis exhibetur; Vt in Galliâ, Validâ manu, factioni, obſiſteret, nec cederet torrenti furioſorum. Ille arbitratus, (incertum an conſultò) defenſoribus iſtis tempus non

egere, gratias egit, pollicitus non perituram apud ſe oblatæ gratiæ memoriam; Nihil fert hæc vita dulcius, exhibito in adverſis affectu; Maluit tutò eſſe miſer, quàm in diſcrimen vocare afflictum iam regnum. Et quia non poterat Colonienſem agrum, niſi per Hiſpanica penetrare; Ab reginâ impetratâ veniâ, vt æquum & decorum, ac teſſeris à Leopoldo & Fuenſaldagnio acceptis, per Aquiſgranum rectum iter pergit; vbi in Fabium Cighium nuntium pontificium incidit, cum quo de pace varii ſermones; ſenſu diſcordi, vnde poſtea inter ipſos neſcio quo fermento, ægrimonia fuit. Miſſus fuerat Antonius Pedimantellus, Neoporti gubernator, cum Cohorte Croaticâ, qui honoris causâ Cardinalem comitaretur. Ab Hiſpanis omnia oblata, fidei labefactandæ, niſi in Virum fortem incidiſſent; De Pace etiam injecit Pedimantellus, quaſi Per Fatum ſancto operi deſtinatus; & forſan coaliturum erat negotium, niſi Sillerius à Condeo Bruxellam miſſus, tantum ſubtemen ab rupiſſet telæ jam exorſæ,

Inde Hiſpani à Condeo ingentia ſperare ; & credere Galliam in vltimâ fati lineâ. Abruptum igitur colloquium, ne inde Condeo ſuſpicio, quem jam ſibi devinctum, animus erat ligare fortioribus vinclis, ſcilicet lucrifacere, noſtra damna, vt ſolent Iberi, infelici ſemper exitu.

Feſſus viarum & curarum, Mazzarinus in Prætorium Electoris Colonienſis, Bruellium, ſalvus adventat ; Elector cum Primoribus è Clero, novum hoſpitem inviſit, orat rogatque, vtatur, quanta erat, ſuâ ditione; Bavaricæ domûs, æterna inſignia, Splendor & Comitas; Vtrumque experitur Mazzarinus, cum familiâ Cognatione & Tabulis naufragij. Æqualis Inquilinis, ex tali adventu lætitia, quæ tempore crevit, cum tantùm non vilioribus ſalutatis, quaſdam familiaritatis notas adderet ; Sed, quantum reſpectantium turba pateretur, latus ſuum crederet omnibus. Non ætas quemquam, non valetudo, non ſexus retardavit, quominus oculos inſolito ſpectaculo impleret ; Nam Cardinalitio cultu, non omiſſis

fortunæ ſuæ inſignibus, in templo frequens aderat. Parvuli noſcere, oſtentare juvenes, mirari Senes, Ægri quoque ad conſpectum ejus prorepere, anguſto tramite illi relicto.

Nos Bruellio relicto, cuius nullam poſteritatem pigebit, Lutetiam redeamus, vbi alta voce in concilio Regio longa Epiſtola Mazzarini perlecta eſt, ad Reginam & Briennæ Comitem, ab Epiſtolis & actibus Regiis. *Conſpiratione inimicorum, & invidiâ, oppreſſum, quatenus veritati & innocentiæ ſuæ, nuſquam locus eſſet, ſibi pulſo, & cum lacerâ familia extorri, licere conqueri, apud juſtiſſimam Reginarum; Quod nullum finem prævideret fortunæ ſevientis, Sed atrociora in dies ſibi ſperanda, Nunquam conſiſtere exempla, vnde cœperunt, ſed quamlibet in tenuem recepta tramitem latiſſimè evagandi ſibi viam facere. Per implacabiles æmulos, aurâ illis favente, ſpoliatum ſe direptis omnibus, etiam ſævitum in ſuppellectilem, & cætera, quæ ornandæ Lutetiæ Româ advehi curaverat; Nihil à tantis laboribus, per tot annorum obſequium præter galerum, conſecutum quem & volens & libens redonabat; Nihil amplius quam latebram quærens abdendo dedecori;*

Sed fidem ſuam nullam vim tempeſtatis, libaturam, etſi manifeſto periculo obijceretur. Nonnullos flexit ad lenitatem Epiſtola efficax; Plures incendit, qui contemplati frequentiam ſuam, animos ab illâ ſumebant. Mazzarinus in Senatu plenis votis; *Reus læſæ majeſtatis, turbator publicæ quietis, hoſtis Galliæ pronuntiatur; quod Piraticam exercuerit, ex Miniſtro prædator factus, navium exterarum turbato ſic commercio; quòd Gallicam gaZam in ſuam Jtaliam tranſvexerit, quòd Reginæ auctor peſſimi ſemper conſilij, quod in rudimentum regnandi animum Regis ex ſuo formaſſet; Diſſimulatione vitia premens, Ejus mente nihil corruptius, quòd nihil eſſet, quo in præmium vlterius raperetur, nec ſi Peccet, Vllum tribunal, cui reddat rationem;* Severè cavetur, ne Gallorum vllus cum illo participet, pœnâ gravi indictâ, qui ſecus fecerit. Brouſſelius & Munierius electi qui ſagaci cura inveſtigarent in rationes, Mazzarini, & fiſco addicerent; Id quoque acceſſit, vt Sævitiæ cauſam Avaritia præberet. Sed quis putaret mixta profanis divina, & per Eccleſias plublicata monitoria, vt vo-

cant, quibus per excommunicationis minas; juberetur, quicquid compertum de Mazzarini jure, delegatis à Senatu revelari; Sed magna fides, frustra tentata, aut innocentia constitit. Bitaldus & Pitheus ad regni fines missi, vt per loca conscia Mazzarinei transitûs, rimarentur, quid actum in ejus gratiam, & punirent convictos; Nullus nocens repertus aut incuriâ judicum, aut virtute suspectorum. Sed factionis præcipuum negotium, ne Rex & Regina evaderent; Portæ Vrbis ante principum reditum, & paulò post, Reginæ consensu, ideo à civibus custoditæ; Nihilominus singulis horis nova suspicione percelli, omnia ancipiti metu suspensa aut simulata, ita vt nocte intempestâ, Regis & Reginæ somno fuerit invigilatum, saltem exploratum an lecto inessent. Ad augendam Mazzarini invidiam simulabatur, timeri; Non poterat inita societas aliter se tueri; & vt verbo omnia absolvam; Ne quid vnquam nostris malis deesset, in quâ civitate olim virtutibus certatum, certabatur sceleribus; Optimusque sibi videbatur, qui erat pessimus;

Vbi à recto ſemel deerratum, in præceps cito pervenitur; Iactatio igitur erat, & fluctus; Ac nihil firmum, Vbi nihil alligatum ad ancoram publicæ ſalutis; Inſtaurabantur ludi, attamen ludi, quos inſtruebat ambitio & ſævitia. Mens immota factionis, Reginam ex axe depellere, & Res eò adigere, ut inſignis contingeret mutatio, ac turbido mari piſcaretur quidlibet, dum aliquid.

Per hæc & ſimilia Longavillea, vterque Bullioneus, & quæcunque ex illâ clientelâ, culpâ & pœnâ per Senatum abſoluuntur; Sed ante omnia, Principes injuſto carceri incluſi, pronuntiantur; Senatus Parienſis prærogativa eſt, ſontes, inſontes, & ruſus inſontes, ſontes facere; id eſt leges figere, atque refigere; & Gallicæ aulæ, eodem die, hoſtes, & intimis curis proximos habere; Decumani fluctus, & repente malacia; Ab origine gentis, hæc fuere, & erunt, Non mutantur elementa; & per hæc regnatur apud nos, & regnabitur, ſine fine; Nam ſolius Galliæ non futurum eſt cadaver.

Interim gravis fortuna incubabat Mazzarino,

zarino, de cujus reditu, per decreta, Reginâ assentiente, severè cavetur; immò Senatus consulto, non solùm Cardinales exteri, sed indigenæ, & quacunque dignitate Ecclesiasticâ aucti, à consilio Regio arceantur, more apud sapientissimos regnantium, (Venetos quis non intelligat?) recepto, qui tales à rebus suis fortiter & prudenter excludunt. *Non posse per bipertitam fidem, Regi, ac Romano Pontifici pareri, Cardinales, si rectè ponatur calculus, nihil aliud esse, quam parochos purpuratos, quibus Consistorij cura, Episcopis sollicitudo gregis, qui sine noxâ non potest deseri.* Corinthius intercedebat; Peregrinos solos avertendos à regimine, ne imminens sibi Galerus, ministerio ad quod anhelabat, destitutus; sordesceret per plebeias curas.

Obussonius Ebrodunensis Archiepiscopus, nomine Cleri, pro immunitate Ecclesiasticâ facundè peroravit; Irrito conamine, quia quo instinctu & impulsu loqueretur, clare constabat; Tamen, inde augescens Obussonij fama, stravit illi iter ad gloriæ incre-

menta; Præcipua vis orationis, in exagerandis Cardinalium in Galliam meritis, qui rerum gestarum monumentis toti mundo inclaruerant. Senatus hæc se iam scire respondebat; *Sed eorumdem Cardinalium effrenem fuisse ambitionem, & avaritiam;* Hoc, inquiebat, *fert secum dignitas Ecclesiæ, vt spretis divinis, in terris affectet dominari, & eminere supra magnos Principes, & si posset, Reges, atque hoc omne, Aulæ Romanæ assimilatione & exemplo, fastu omnia mondana superantis. Qui fieri posset, vt Machina, tam debilibus fundamentis superstructa, per modos fondatoris institutioni, contrarios, eò vsque surrexerit? Vt, quamvis in aperto sit, per liberalitatem Principum, eam crevisse, clarius sit, sic se gerere vt contra ipsos largitores, acceptam potentiam, convertat, & nihil aliud per* Canonistas *suos & olios Emissarios cogitet, quam omnimodam depressionem, secularis jurisdictionis. hæc satis notata, à præstantissimis viris, non posse satis inculcari, vt frenetur immoderatus progressus, quo augescente, auctoritas Præsbyterorum & sacro ministerio allectorum, evadet rerum domina, & potestas secularis famulabitur, quod probrosum;*

Non poteſt ſatis laudari, Senatus Pariſienſis, qui contra Eccleſiaſticas alluviones audacter ſemper inſurgit, ac reprimit, ne vltra laxentur philacteres; Gallis Senatoribus & Venetis exceptis, reliquus orbis imperitus vanæ ſuperſtitioni ſucumbit.

Vt fatum Galliæ tunc erat, ſeditionibus omnia verminare tumentibus animis. Nobilitas etiam cœtus ſuos inſtituere, & congregari, litteras per provincias exarare, & tanquam claſſicum canere, ac vexillum erigere novæ factionis implendæ menſuræ. *Publicæ calamitati Proſpiciendum, Perditam Galliam, Actum eſſe de Republicâ; Ordines regni convocandos; vnicum remedium, impendenti deſolationi;* Regina hæc & ſimilia tolerare, omnia tuta timens, Aurelianus & Condeus approbare & fovere. Senatus damnare vt auctoritati ſuæ adverſum; Principes non ſatis concoquere audentiam Curiæ Pariſienſis, quæ tanquam arbitra Regni, omnibus ſe, per ſummam poteſtatem, immiſceret. Muſſare inde optimates; & in ſui detrimentum accipere.

Ille Nobilium cœtus non deſinere, ſper-

nere & Aulam & Concessum Patrum, ac adjungere se Clero; Mutuâ adulatione se invicem demulcere, tanquam vtriusque interesset, ne quid regnum detrimenti caperet; Sed Tertio Ordine, qui justitiam regit & leges, reluctante, nec se aggregante; Cœtus nobiliem, & Status Generales, vt vernacula fert, evanescere, post ingentes contentiones, Turonibus jam sede delecta, & ad id laxitati annonæ, in illo tractu, iam prospectum.

Stenaco Longavillea vltrices Diras secum deduxerat, per quas in proclivi tranquillitas in monstra & hydras crudelissimi belli exarsit; Inter primas publicas actiones, Contii fratris cũ Chevreusiæ natâ connubialia pacta abrumpit; Chevreusiâ sponte, reduci Condeo, reddiderat scriptum, quo fidem ille suam obligaverat de futuris hymenæis; Nec se velle extorquere talia, generosè professa est; Et quid, nisi magnum, à Rohanicâ stirpe sperandum? Enguiani cum Alenconiâ pariter subsignatum vtrinque Matrimonium per verbum de futuro, vt leguleii loquun-

tur, in fumos abiturum, præſaga Chevreuſia paſſim ſpargebat; Ac feminæ dicto adfuit fides, eventu adſtipulante. Longavilleam non aſſenſiſſe promiſſæ affinitati, Nemo miratus eſt, qui ingenium noſſet mulieris, ſoli fratri Contio, per Rupifoucaldium incubantis; Puellam formæ non abſurdæ tali matre editam, Corinthium ſecum trahentem, Condeanis penatibus inferri; Negotioſa Res videbatur; Sed Condeum ſpreviſſe Chevreuſiam, Corinthium, & Aſſeclas, quorum tanta apud Aurelianum, In Senatu, & In Vrbe pollentia, rimatores Aulicarum Rerum percellebat; Quid illi mentis fuerit neſcio, hoc ſcio; Innumera mala inde fluxiſſe. Soror à reditu, Hiſpanicâ promiſſa animo voluens, & vindictæ, & bello intenta, nihil penſi habere, dummodo fratrem accenderet & irritaret, ac Reginam ad vltimam fati lineam redigeret.

Potuiſſet Princeps pellaciâ & blandicijs, jam addictos ſibi devincire. Non hæc fuere Condeanæ normæ; Ideò eodem tempore; iacturam fecit amicorum; Bullionæus, Tu-

renius, cum non paucis alijs, ſatis ſuperque notis, terga vertere, & Regi ſe addicere grandi acceſſione, fortunâ ſcilicet præmonente vt compendium patens ad ſolida, ſemitæ præferrent; diſcedente à Condeo clientum priore electione, vbi meliora defloraravit Rex, remanſere, Marſinus, Boutevilleus, Collinius & Tavanus. Hæc omnia damnata, vt inconſulta, ſed cum animo jam Princeps deſciviſſet, & per ſororem, Lutetiæ, per Sillerium Bruxellis, per Croiſſium Stenaci, jam pepigiſſet cum Hiſpanis, prudenter neglexit, quos certò ſciebat non ſibi adhæſuros.

Cum Hiſpanis non diſſimulanter, ſed apertè Lutetiâ Bruxellas, Bruxellis Lutetiam, iter fervere Condei curſoribus, in cujus ædibus & Longavillanæ, Gabrielem Toletanum, & nomina Iberica ſonare. Non aliàs petulantius Regi illuſum. Marlæ in Picardiæ finibus circà Verbinum diribitorium erat, vbi recenſebantur copiæ Condei, & numerabantur ſtipendia, ac obſervabantur rogatores; Debuiſſent potiùs ad Ligerim, me-

rationem ſuam habere ; Sic Regis copias partiebantur , & vbique Princeps imminebat formidandus. Marlæ autem peſſimè cum agminibus Condeanis actum, quæ imparia aſſultui regio, tandem diſperſa ſunt.

Nihil magis inopinatum , nec quod nebulam caligãti Aulæ, detergeret petitione Aquitaniæ , quam Condeus tam fervidè vrgebat, vt inde conſilia viri facilè dignoſcerentur ; Ea tamen illi conceſſa, & Burgundiâ Eſpernonio , exitioſâ permutatione. Viſum tutius id aſſentiri, quam re negatâ, Condeum, vt Rectorem , Burgundiam ſimul habere, ſibi jure præfecturæ addictam , & ſimul Aquitaniam, per obſequium Gentis , armigeræ , quæ nihil aliud quam Condeum ſpirabat. Sed eodem tempore Provinciam Contio fratri , & Arverniam Duci Nemauroſenſi, velle datam; & contendere ſibi promiſſam vtramque provinciam ; vt fecit Condeus, fuit primum facinus apertè audax, à carcere, per quod Miniſterij vilipendiũ evulgabatur ſpretâ Reginâ.

Mazzarinus Bruellij omnia ſcire, & ab eius præſcripto omnia in Aulâ , pendere,

vbi Res eius Condeus, non ſuas agebat, Nihil efficacius reditum promovit, quam eiuſmodi molimina, nec ſi Mazzarino pigneratus Princeps, potuit viri commodis aptius inſervire, qui magno mercatus eſſet Condæanum tale regimen. Auctor igitur Cardinalis, vt omnia Condæo concederentur, amputatâ vel leviculæ offenſæ anſâ; Ideo, eo auctore, inſuper Seguierius & Chavignius revocati, vterque Condæo addictus; Ille intermiſſæ dignitatis non ſatis tolerans Iſte rerum novarum ſine fine cupidus, quarum largam ſegetem procuravit, per ſubdola conſilia; homo inter Tropicos Aulæ educatus, non poterat privatus quieſcere.

Sigilla interim Caſtellonovo, id maximè adnitente Condeo, adimuntur, & Moleo Senatus Principi traduntur, inconſulto Aureliano, qui inſtigante Corinthio, cum aſſeclis, Montreſorio, & aliis, in graviſſimas iras exarſit, de Reginæ audentiâ graviſſimè conqueſtus, quod tantum ſibi arrogaret; Quid futurum deinceps, aiebant? Sed eò vſque progreſſus Corinthius, vt de perrumpendis

Molei

Molei ædibus, & avellendis ſigillis auctor fuerit.

Miſera Sigilla, navatam operam, aut navandam penſatura, errabunda vagabantur, Nec amplius virtutis præmium, ſed factionis merces; Tam acerba nos tempora cernebant; In tribus tam provectæ ætatis Senibus, vſque adeò vivax, nec conſeneſcens fuit ambitio! Caſtellonovus, ſibi deberi, vt injuſtè erepta, Seguierius retinere vt jure data, Moleus conſequi, vt meriturus, quo erat pondere in Senatu.

Inter hæc & ſimilia, Longavilleo cum conjuge peſſime conveniebat, præteritis & recentibus odijs, quorum cauſæ eo acriores quòd Publicæ. Condeus ſe ſe inſerit pararius, concordiæ conciliandæ, ſeu indigens Longavillei, per hæc molimina; Vt vt ſit, è re ſua putavit, vxorem marito reddere obnoxiam; Quod effecit; Sed cum inter initæ pacificationis conditiones, hæc fuiſſet primaria, vt relictâ Vrbe, in media Normanniâ, Sedem perpetuam Femina Princeps figeret, Nec veteres Argos reminiſceretur

impatiens talia pepigiſſe, Conſilia Fratris, nonniſi poſt menſes eruptura, præcipitavit, vt oborto properè inter Aulam & Condeum præmeditato diſſidio, à Normaniæ ſeceſſu ſe eximeret; Quod erat in fervidis votis. Chavignius & Rupifoucaldius favere muliebribus curis, & Condeum vano terrore percellere; *Corinthij cum Lioneo ſecreta colloquia, quæ non poterant niſi damnoſa eſſe Principi, Prætorianum militem, per viciniam Condeani Palatij, oberrare, tanquam aliquid auſurum*; Et ſimilia, quæ interpretatione ſolent aſperari; Accelerabat tumultum Chavignij ſpiritus, Flabellum ſeceſſionis, Non tam vt Condeum ſalvum præſtaret, & periculo eriperet, quod erat nullum, quam vt gratiam Aulæ aucuparetur, rebus turbidis, neceſſariam operam oſtentaturus. Ea ſemper mens Viri, vti Condeo in ſua commoda, nec vtendum Condeo ſe præbere, ſe quoquomodo in partem Miniſterij aſciſci, otio & ſitu abſtruſum, & quaſi ſepultum, lucem ac diem ſpirare.

Nocte Condeus in Prætorium proximum, ſui iuris, ad ſecundum ab vrbe lapidem; San-

maurium vocant, quaſi inſidias vitaſſet. Cum fratre, coniuge, & ſorore, ac primoribus aſſeclis ſe recipit; Aureliano, ac Senatui cauſis ſeceſſionis per litteras enarratis; Mota fuit Regina inopinato diſceſſu, & periculi affectatâ ſimulatione, Sed prudenter intercedere caſibus, & occurſare imminentibus. Grammontium, igitur & Villaregium, Mariſcallos ad Principem delegat, irritamenta irarum, ſic facem accenſam extinguere conatur, ſufficere ad remedium, vt ſciat, vbi, & vndè malum; Redeunt Polemarchi, ne alloquio quidem, niſi in publico cœtu, dignati.

Intractabilior Condeus fit, quo magis timetur; Omnia, inquit; intuta ſibi, dum ſpiritus Mazzarini regeret. Eum in Servieno, Tellerio, & Lioneo verti; Bruellium, non amplius exulis ſedem, ſed Sybillæ antrum ad quod confluebant vndique rogaturæ gentes; Interim monet Princeps, Hiſpanos de rebus jam proſperè inchoatis, nec ſecretas molitiones meditatur, amicos ſibi devincit; Præſentes illecebris, quibus potens,

abſentes per efficaces litteras; Longavilleum inter cæteros, per me, expugnare conatur, non quod tanti putaret Affinem, ſed Neuſtriæ cauſâ, & famâ apud Hiſpanos, tanquam ſecum veheret immenſam molem.

Marſino Catalauniæ provinciam proruraverat, ſibi per ſacramentum addicto; Dognonum Broagiæ præfectum captaverat, ſed Ducem Nemauroſenſem deſtinaverat exercitus Præfecturæ, ſi caſus daretur; Sanguine & præclarâ indole, par erat muneri imponendo Nemauroſius. Mottanus Polemarchus ſe Principi liberè obtulit, non obliterata injuſti carceris, memoriâ, ſed nulla in Condeum, propenſione, quem putabat in anguſtijs, largum promiſſis, ſuperatis infortunijs, immemorem. Bullionæus, Sanmautii frequens aderat, per inquiſitionem, & rimam aliquam quærens ſui commodi. Non pauci alij gaudere accenſo igne, & Condeo ſe ligare falſis vinclis, Aulæ poſtea ſe carius vendituri; Pecunia interim, ad conducendum militem, diſtributa eſt; Nec qui acce-

pere, implevere promissa; sed domum rediere expugnaturi paupertatem, In Aquitania id posteà expertus est Princeps suo magno damno.

Vocatus Sanmaurium, adfui Principi; frigidè exceptus, quod Reginam de fide, Longavillani, se inconsulto certam fecissem; Nihilominus non detrectavi Rothomagum ad Longavillanum properare, ita rogante ipso Principe; Vt traherem in partes, si fieri posset, suspensum & incertum sui Mortalem, & libertatem impetrarem Sorori, Biturigas, ad Carmelitarum cœnobium, se recipiendi, durante maligno hoc sydere; de Normaniæ autem secessu non amplius cogitandum, mutatâ scenâ rerum.

Veniâ à Regina priùs mihi concessâ, Conveni Longavilleum, & Collatis consilijs, decretum vxori liberum commeatum concedere; annuâ pensione assignatâ; In hoc non sibi Maritus vim intulit, qui eâ amotâ gaudebat, liber sic futurus, in Præfecturâ, & cœnobiali apud Biturigas illa latebrâ contentus, quam postea mutavit, Monte-

rotundo, & tandem Burdegalâ, Vbi potens rerum, omnia pro nutu diu versavit, Mariti immemor, Postmodum, tot laboribus fessa in pejus ruente studio partium, se coniugi soli applicuit, concorditer vixit, amplexa genus, vitæ quod in decus, gloriam, & in exemplum cessit, nihil ex alto sanguine sibi vindicans, præter morum sanctitatem, cum religionis reverentiâ, modica cultu, parca comitatu; & demum tanta simplicitatis & puritatis famâ, vt dubitares, sit ne efficacius; aut semper vixisse, ad Sãctitatis norman; An bene vti pœnitentiæ occasione, & exulceratâ quanquam mente, ad sanitatem revocari. Longavillanus quid consilii caperet non habuit; Sectari affinem Principem per freta, & scopulos quos subibat; Aleâ periculosâ, Deserere eum, iudicabat periculosius, quia consummato Condeo, Longavillanus præda manebat.

Redux Reginæ refero constantem me, Reperisse ducem Longavilleum, in fide regi debitâ; *Sed non posse satis concoquere Condeum oppressum, cujus infortunia sua erant, ideò se suppliciter Reginam rogare, vt sua prudentiâ*

temperaret, temeraria forsan cœpta, sed insontia, Nec Principem fortem, & indole bonum agere in præceps, excutere & illi reverentiam; Non suo instinctu, hæc; agere, adesse pessima ingenia, quæ improbè pluviam vocabant, quia eorum sors ferebat, Ali turbis. Lentè igitur agendum; Habere parvas moras magna commoda; Posse salvâ Majestate, commoto Principi satisfieri. Hæc & similia disserui, quæ Regina placidè audivit, Certa nec provocare bellum, Nec timere. Longius excitandi motus fuisset spatium, nisi Condeus, Hispanis se & fidem obligasset, & Soror cum Chavignio, impulisset, quasi retinentem invitumque.

Intercessere Varij Congressus, inter Aurelianum, & Condeum, in vicinis Vrbi locis, Nam nec Condeus Lutetiam, nec Aurelianus San-Maurium adibat; Non displicuit Aureliano obstinatio Condei, in pellendo Mazzarineo Ministerio, Triumviratu scilicet, quem iam innui; Sed quod iam immersum principem videret bello civili, à quo animus Gastonis semper abhorruit; Ergo lenire eum & spatium poscere pro munere. Con-

deus periculum imminens causari, & in dies consilia sibi exitiosa valescere, securitati providendum, neque expectandum donec cicatrix malè sana, in lætiferum vulnus recrudesceret; Inter insanabiles morbos, Iram Reginæ numerandam, Hispanam esse, & quod peius Mazzarinam. Aurelianus & apud Reginam & apud Senatum quoad poterat moderari omnia; Senatus, de Servieno Tellerio, & Lioneo extrudendis, & à Publicis rebus depellendis ferebat Sententiam; Parvit Regina Aureliani & Senatus sensis, irritâ moderatione. Tellerius primus semet abdicavit; *Deus avertat*, inquit; *Vt ex Ministro offendiculum fiam; Si hac mercede emenda concordia, ematur, discedo volens & libens.* Idem Servienus & Lioneus, Qui Condei amicitiam ambierant; Nec ei infensi credebantur; Igitur discedunt, quisque consilia Reginæ impertiens; Discessu Ministrorum audito, Condeus vrbi & ædibus suis restitutus, primò in Senatum venit, gratias Patribus agit, & se suaque exhibet; Semper gravans Mazzarinum qui frustra pulsus; *Si libuerit relinquere spi-*

ritus

ritus se nequiores; Probata à Senatu Firmitas Principis, monitus tamen, vt moderantius ageret; Nec in se concitaret, invidiam Aulæ, satis superque infensæ.

Et quia in Aquitanicam præfecturam, & sollemnem, apud Burdegalam ingressum, omnem pompam jam paraverat, eam ante discessum, Lutetiæ explicuit, Videres per plateas Rhedâ argento totâ micante, Condeum invectum, Satellitio frequenti, depositis lugubribus exuvijs, novis vestibus splendente, Nec tamen Regi adesse, sed Aureliano & Senatui; Hinc sermones Palatinorum sinistri, Plebis autem admiratio, in examen sequax, & nitidum Pædagogium intenta; Res contigit fortuita quidem, sed eruptura in grandem casum; dum Princeps per stadium Reginæ, Cursum vocant, hoc apparatu lentè spatiaretur; Rex modico comitatu, natatum ibat per idem stadium; Quid inquiebant Aulici, si Rex ad se vocasset Condeum & renitenti forsan, iussistet manus iniici? Horrendum aliquid vidisset Dira dies, & stadium conscium fuisset, per lethum multipli-

plex, ingentis calamitatis; Nam vicina loca Condeano Cliente armato repleta erant; Mirum, quod durante motu Civili, tumentibus animis & in se mutuò sævientibus, nullum funus; Sed per verba & voces occultis cuniculis grassatum sit, nullo fuso sanguine, nisi collata acie. Murmur tamen multorum, tanquam Condeus Regi & Reginæ illuderet; Inde graviter Aurelianus commotus, qui à sævitia semper abhorruit, Principem quasi invitum perduxit in Regiam, vbi ab vtrâque Majestate frigide exceptus, discessit, proposito firmo nunquam redeundi, Nec redijt, nisi post sanctionem pacis, grande spatium; Prospexerat Princeps tamen ne sibi, in palatio regio, vis inferretur, vtrimque validis stationibus, ita septo, vt ad minimi tumultus speciem, perrumpendæ essent ædes Regiæ, & terribilis strages immineret. Ostentaverat & Aurelianus Condeo veste latentem pugionem, quo transfigeret primum insultorem; Illius ferri in Condei animo, exigua fuit fiducia, summa in occultato milite, per Viciniam.

Res erant pessimo loco; Condeus magis magisque se Hispanis addicebat, quod erat in manifesto; Nec furtiva amplius belli Civilis meditamenta, etsi Contius Moleum in Senatu extra morem interpellasset, quod omnia ad bellum Civile accingi pronunciaret. Quasi injuria Condeo fieret, qui nihil, inquiebat frater, quam concordiam & gloriam regni spirabat. Visa Res mira hæc proferre Iuvenem, in medio consessu Patrum, apparatu bellico tam claro. Sed instinctu alieno, hæc interpellatio fuit, quam Præses Senatus, Moleus graviter carpsit, hoc monito, Principes è cognatione regiâ, in Senatu nihil aliud esse, quam consiliarios.

Quò magis irascebantur Condeus, Frater, & Asseclæ, eò magis agnoscere culpam visi, quæ spreta potius obsolevisset, Tristis illa cogitatio & morsus, aut quia magnitudo moliminis nondum perfecti intelligebatur, aut quia infixa nobis, rei aversatio, quam jura & leges damnant; Conscientia mentem excitam vastabat, Eam non tam verebantur, quam famam, nondum ma-

turata præcedentem.

Regina certior facta Condeani Consilij, quod in dies per aliquam rimam prorumpebat, Ne segnitiæ, meritò posset argui, audacter Senatum accersit, & Palatinos proceres, quibus decorè congregatis, cœtu frequenti, Aureliano & Contio præsentibus. (Non adfuit Condeus præscius.) Per Brienneum, ab Epistolis & Regijs actibus alta voce perlegitur scriptum, cujus talis erat, Sententia Anno 1651. 17. Augusti.

Durum sibi videri, post tot decreta in Cardinalem MaZZarinum, quibus omnino arcebatur ab omni in Gallia commercio; non quiescere tamen male animatos, & ansam desciscendi, à MaZZarino semper captare, in quem non solum confirmabat jam latas sententias, sed declarabat, Mentem Regis esse, vt Fides haberetur, quam dabat denuo firmam, & stabilem, de æternâ MaZZarini exulatione, sine vlla spe reditûs; Non posse amplius celari Condæi Principis pessima molimina, qui post tot beneficia, & vetusta, & nova, in illum collata, ordiretur palàm, & pertexeret rebellionis telam, manifesto Majesta-

tis Regiæ vilipendio. Iam alterum menſem incubare vrbi, non viſo, non ſalutato Rege, niſi ſemel, & perfunctoriè, in Senatu & paſſim alibi, diſſeminare malignos ſermones, Regimen carpendo, etſi rectum, inimicandis populis, & minuendo obſequio; Muniviſſe ſuas arces, paraſſe militem in Provincijs; Per quas ſibi conciliaverat, deſciſſere paratos, ad ejus arbitrium & nutum; Cum Hiſpanis Bruxellæ, ſine fine, aperta commercia; Stenaco non exegiſſe præſidium hoſtile, quæ fuerat conditio liberationis, ſemper Marlæ vires vnitas ; ſolius Principis mandatis parere, Regij exercitus damno & probro; Transfugas regios, ſe Condeanis aggregare, vbi pro diſciplina rapinæ, & infenſatio per Campaniam, & Picardiam, tanquam per hoſtilem agrum: Hæc omnia extrema eſſe, quæ non poterat concoquere, niſi abjecto regni clavo, quod olim exprobraretur. Igitur liberè ſua ſenſa pronuntiarent, ſi qua pietatis in Regem veſtigia, remanerent, His juſtis querelis animum ſe exoneraſſe, eò magis quod intra viginti dies, Regi ſecundum leges, reddenda erat

erat ratio Regiminis, pubertatis annos adepto.

Sub vno silentio continuere omnes sua sensa Solus Contius respondit; *Hæc omnia inimicorum esse opera, quæ frater, facile dilueret.*

Alebantur interim dissidia, provt cujusque commodum vertebatur; Ea constant ex Aulæ mancipiis, quibus omnia honesta, atque inhonesta laudare aut vituperare mos est. Fictè & simulatè, quæstus sui causâ, in aures insusurrare; Species sola gratiosi servitii dignitatem habere nullam potest, à quo cautus & optimus venditur Princeps.

Servieno, Tellerio, & Lioneo abactis, Villaregius & Brienneus vmbram Consilii, non vim obtinebat. Zongus Ondedeus, Vir Pizaurensis, Mazzarino in primis addictus, qui ausus profugi fata potius quam, sua sequi, multa animose & graviter gessit, quæ Ministri Primarij curas, iure æquarent. Sed propter peregrinitatis culpam, non poterat vlterius progredi, ideò per cuniculos sua ingerebat. Destinabantur palam Castellonovus, Moleus & Vievilleus. Ille vt supremæ curæ imminens; Hic sigilli custos

amoto rurſus Seguierio, inſtar pilæ alternis iactato, & Vltimus ærario deſtinatus, Barbones vulgo dicti, quod luxuriâ barbæ incana menta, & vibriſſis nares, fruticarent, exoſi Condeo, vt narrabitur.

Sed inter hæc, Aulam & Senatum Mercurius diſtinebat, qui Regina vix conſentiente, Coloniam advolaverat, & per Archiepiſcopum Electorem cum Mancinâ Mazzarini nepte, nuptias celebraverat, Tanta de Mazzarini gratia fides fuit; Senatus graviter infeſtus in vetitos hymeneos, Condeo maximè impellente. Totum illud ex voto ſuccedebat, & accelerandi cœpta, inde valida cauſa; quod Mazzarinus, ſemper regnare arguebatur. Condeus, è re ſua exiſtimavit, maculam inuſtam eluere, non tam, quod inde conſequeretur commodum, quam Reginæ, & inimicis deprimenendis & ludificandis; Extorquet igitur ab Aureliano teſtimonium, quo purgabatur adverſus illatas criminationes. Lectum id in Senatu; *Aurelianum Ducem fidem facere, Marlæ retineri copias, non ſine ſuo conſenſu, qui eò miſerat Valonem, vt Condea-*

nas, & suas simul regeret, non Seneterreum; MaZZarinomanem; Se tanquam Regni Vicarium, hoc posse De Stenaco, Condeum semper obtulisse suam operam, vt aut vi, aut arte, extruderet; Hispanos, Nihil vno verbo, se in Principe, nisi mentem rectam & regi ac regno addictam, notasse. Declarare reum læsæ Majestatis ob commercia cum hoste; Rem esse præcipitis Consilijs, cujus se, fuisse participem, nisi paucis ante horis, negabat.

Tale scriptum Aureliani, Reginam affecit, quæ vt simulandi peritissima, sẽsus suos tamen pressit; Aurelianus factum deprecatus est; pollicitus, hanc vltimam gratiam Condeo, pollicitum; Nolle fovere dissidia.

Etsi Senatus, & Aurelianus, in Condei innocentiam inclinaret, Voluit Princeps obruere inimicos; Evulgat igitur responsum sane luculentum. Post Aureliani scriptum, non indigebat apologetico, tamen vt sparsis rumoribus & famæ, ac conscientiæ occurreret, hæc pauca dicenda habuit. *Nihil se retinere in Gallia, nisi à Patre relicta. Stenacum & Clarmontium, compensationem esse præfecturæ maris.*

maris à morte Brezei ducis, affinis, jure ad se devolutæ. Post tredecim mensium captivitatem, immerenti, liberationem, non beneficium, sed justitiam vocari. Non posse excludi à Regio Consilio, cujus pater, per Regis nuper defuncti testamentum, caput fuerat designatus. Nullis arcibus fondasse suas vires, cùm MaZZarinus totius Galliæ munimenta, per suas Clientelas obtineret. Quicquid Copiarum Marlæ haberet, non adeò detestandum, Cum eiusmodi Cohortibus maximam partem victoriarum, Gallia deberet acceptam, & starent iussu Ducis Aureliani, penes quem legitima talium erat potestas. Burgundiam, vbi depositas haberet facultates, Aquitaniâ permutasse, vt inde misera Provincia levaretur imperio Espernonij impotenti. Munitas Vrbes in Burgundia meritò retinuisse, quippe à patre emptas, consentiente & approbante Rege; Nihil invicem per Aquitaniam, sibi donatum. Servienum, Tellerium, ac Lioneum, MaZZarinum præstantes, meritò amotos, Senatu plaudente. Quod autem desierit, Regi & eius Concilio interesse, Id omnibus cordatis laudatum, cum palàm Regina consideret apertis hostibus suis; Ab eorum insidijs sibi præcavendum, ne in casses jam expertos rursus

incideret; Per commercia cum hostibus, quæ tantopere exprobrabantur, Nihil aliud obtendere, quam Hispanos Stenaco educere, quod fuerat in votis ab ipso momento restitutæ libertatis. Cætera omnia ad ducem Aurelianensem referre, qui aut spernendus, erat, aut ei habenda fides. Se Principem è sanguine Regio, læsæ Majestatis reum pronuntiari, Reginâ id vrgente, esse intolerandum, Nec hoc concocturum; Inquirendum in auctores tam sævi Consilij; Aut evincerent argumentis, aut plecterentur, se & sua omnia, demum Senatui submittere, & ejus stare Sententia. Condeus ad purganda crimina, si qua essent, & deprecandum sinistrum murmur, in Senatu causam suam egit, gravissimè conquestus, propter ereptum sibi decus; vt sarciretur, Patres obnixè rogans. Adspirabat illi aura, Ideò intrepidior, multa invectus est, in auctores, qui per odium implacabile, hæc erant dira machinati, dissidijs publicis propagandis, Cum pax ipsi deberent esse mundo.

Corinthius se vellicitatim carpi animadvertens, assurgens, respondit. *Nihil à se præstitum, nisi publici boni obtentu, & quod dece-*

ret virum cordatum, qui nunquam fidem promiſſam fefelliſſet. Condeus ſe mirari, dixit, *Aliquem eſſe qui ſecum Principe regij ſanguinis, contendere, auderet.* Regerit Corinthius. *Se apprimè ſcirè, quid tali Principi debeatur, ſed eo loci, ſoli Regi obſequium purum præſtari, vnicuique libertatem conſtare.* Patres fremere, & prævidere erupturam acerbationem, in horrendum nefas, cum Curia, coronâ armatorum non ſepta, ſed plena, oculis Senatorum ſubijceretur; Vtrimque infenſi globi, omni telorum genere, atrox neſcio quid minabantur. Hinc Condeani, Illinc Corinthiaci, ſtrictos enſes inimicare, Palatij ſpecie miſerandâ. Guiſianis temporibus ventum fuiſſet ad extrema. Noſtro ſeclo verborum multum, ſed ſiccorum, ſine cruore, Sive animorum temperiem afflaret inſanguineus Cometes, ſive, quiſque timeret, dubio & ancipiti diſcrimine.

Moleus Senatus Princeps, *Majeſtatis non altercationis locum eſſe, diſſervit, cœtum invicem minantem dimittendum vtrinque. Suffragij libertatem Patribus relinquendam. Et obverſus*

ad Condeum, Tuum est, exemplo viam monstrare Reverentiæ & honoris consessui debitæ. Sine morâ parens monitis, Condeus, Rupifoucaldium ad suos emittit, vt abirent. Corinthius idem ipse suos rogavit, in reditu per Rupifoucaldium, valuas & antas interceptus, ostio pene illisus, furentum sævitiæ, quasi ludibrium debuit; Ni Champlatreus suo ingressu oppressum præsulem liberasset. Inde ortum gravius iurgium; Inter Corinthium & Rupifoucaldium, ac eorum amicos. Hi motus animorum incruentè sedati, quis tam minaci tempore, hoc crederet?

Aurelianus, ingravescenti simultati, moderatus est, Nec Corinthius Senatui amplius interfuit; Condeus autem modico comitatu. Ita se mores habent Gallorum, vt publicâ quisque ruinâ malit cadere, quam suâ proteri.

Postridie Condeus à palatio domum suam petens, incidit, mediâ plateâ, in processum sollemnem, cujus agmen de more claudebat Corinthius, Archiepiscopalibus ornamentis eximius. Substitit Condeus venerabundus

ac ſe paſſus eſt, à Corinthio cruce ſignari, & benedictione luſtrari.

Plebs circumſtans frendere, minimo nutu, proceſſioni litatura Archiepiſcopum; Sed verba minacia, murmur incertum, nulla pugna; Diceres cœlum tonans nube, ſine imbre.

Condeus neſcius per plateas prœliandi, majora animo voluens, interim, per Senatus decretum à criminatione injectâ, tanquam falsâ, abſolvitur; Reginâ rogante; Quid tam invalidum æquare poſſit, tunc potentiæ Regiæ imbecillitatem; Quid faceret Femina! Patienter tulit quod illi corrigere nefas.

Fuere quorundam judicia benigna, de futurâ tranquillitate, tot amotis impedimentis. Exercuere rurſus turbæ oborto novo diſcidio, Barbonum causâ; Tres fuere mortales; Caſtellonovus; Moleus, Vievilleus. Hos Condeus averſatur, Primum, ſuo ſanguini, vt ajebat, infenſum, vel per ſententiam in Monmorancium Tolosæ latam, Secundum vt offenſum, quod Violei potius

quam Champlatrei filij, rationem habuisset Vltimum Vievilleum, per Palatinæ artes Mazzarino insinuatum; Hos tres depontanos senes, extinctâ ætatis flammâ, per ignes suppositos doloso cineri, reviviscere, Aulicæ ambitionis insanabiles; Non Cardinali addictos, sed mancipatos, Servieno, Tellerio, & Lioneo pejores; Quod magis commovebat Principem, fuit Maisonii casus, qui sic ærario demovebatur, à quo, per Chavignii operam, Condeus vim pecuniæ sibi debitæ & reiiculæ, consequutus erat.

Nulla Condeo justior indignationis causa; Nec hoc infitiabitur, nisi qui non combiberit mores irrepentis Barbonismi; Quidquid tamen conquerebatur, eo nomine Princeps; gnaris rerum vertentium, compertum erat, eum gaudere, datâ sic ansâ secedendi, ad quam maximè anhelabat, Hispanis & tot amicis jam oppigneratus.

Sed appetebat Majoritatis dies, cujus sollemnitati, non putavit Condeus debere interesse; Festivitatibus ejusmodi, non semel atrocitate corrumpi solitis; Abesse autem

decorè non poterat; Vtitur meâ operâ, vt Reginæ ſuadeat, è republicâ eſſe, vt cum Longavillano conveniret, magnis de rebus agendis. Longavillanus declinabat Condei colloquium, ne ſenſim adigeretur ad periculoſam ſocietatem; Impuli Ego, vt aſſenſum præberet congreſſui, cum Reginam, hoc ab eo exigere, per litteras anxiè monuiſſem. Tria prætorium Longavillei, diei æſtivi ſpatio, ab Vrbe diſtans, Neuſtriam verſus; Locus fuit conventui deſtinatus, vario fine. Condei, vt ſe ſubſtraheret decorè, ſollemni die, & ſimul in partes traheret Longavilleum, qui hactenus per me ambigua pollicebatur; Iſtius autem ſcopus, avertere Principem ab inceptis, & Reginæ obſequi, quæ reverà, nec congreſſum, nec exitum eius morabatur, ſimulatè agens, non ægrè decepta propriâ proditione; Adventat igitur apud Triam primus Longavilleus, & ad veſperam Condeus, paucis comitatus; Per Pontizaram facto itinere; Vbi coegerat validam manum & ſtrenuam, vt ex ſtructis inſidiis, ſi quæ eſſent, liber evaderet; Nec augurium fefellit;

Nam vix innotuit, per diditum rumorem, Principem versus Neustriam per Pontizaram commeare, Cum Esguillionia, quæ Pontizaræ plurimum poterat, Reginæ opem suam obtulit, intercipiendo Condeo, quod Harcurtius etiam se facturum addixit; Regina recusavit, sive exclusa spatii iniquitate, & angustiâ, sive graviora timeret.

Rex cum Reginâ in Senatum venit septimo die Septem. 1661. pompâ sollemni; Illa brevi, sui regiminis enumeratione factâ, tradit habenas filio, cui congeniculans, ad osculum manus, se demisit, quod Rex decorè abnegans, Matri osculum libavit, gratiis actis, quod per tot syrtes & scopulos, affixa gubernaculo tutam velificationem direxisset; Plura Cancellarius Seguierius, pristinæ dignitati restitus; Sed fusissimè, primus Præses Moleus, elapsa pericula & spem venturæ tranquillitatis enarravit, Cœtu dilapso reditum eâdem pompâ, ad ædes Regias, vbi solito ante more, & modo, omnia Regina versavit; ideoque non signanda hæc Epocha per principium novi libri, cum nihil immutatum in ratione

tione regnandi. Chastellonovus primus Minister; Moleus sigilli custos, Vievilleus præfectus ærario nominantur; Gratulationes solitæ & amicorum alacritas, Vt omnis novitas, adulatione consumpta est; Seguierio gratiæ actæ & promissa iterata, de restitutione in integrum, quod æqui bonique consulere visus; Nam cum omnia vbique secunda expertus esset, si quid adversi cecidit, cum fortiter tulit, laudibus materiem stravit.

Prima actio novi Principatus; Fuit Condeanas copias apud Marlam, Guisiam & Verbinum inter positam vrbeculam, tanquam hostiles adoriri; Fugatæ partim, cæsæ nonnullæ, pars Stenacum, Asylum miserorum, Tavanio Duce, quæsivit.

Aurelianus nihil non molitus, vt pro munere spatium trium dierum impetraret, quod negatum. Illinc principium fuit belli Civilis, quod libro sequenti exsequuturus sum.

Condeum non adfuisse, Inaugurationi Regis; Perculit omnium animos; Contius

antequam, pompa procederet, Regi fraternas litteras tradidit, quibus excusabat absentiam, & fidem intemeratam pollicebatur Rex contemptim accepit, nec perlegit.

His apud Triam auditis, Condeus vultum in dolorem finxit, propitiando Longavileo, qui hæc omnia, Reginam reducturam, in melius, asseverabat, Avertens prudentibus monitis, Principem à bello Civili. *Per Opes à Patre relictas, Nominibus certis, non mendacibus fondis depositas facultates, Munera, Præfecturas, Incerta casuum, Longas Regis manus, cujus ætas in ultionem crescebat; Bellum Civile, feram esse horribilem, æternùm vorasse sequaces. Hoc habere tale facinus, ut quos inquinaret, æquaret. Suasores ipsos ad obsequium sponte redituros, præsentibus lassos, invidiosá proditione detecturos fallaciam. Per acceptam in bellicos sumptus, pecuniam, victis tantillum familiæ angustijs, novam mendicitatem subinde revocaturos. A Rege spem affulgere opum, munerum, honorum; Nihil tale Illum posse, nisi promittere, non exsequi; Inde enerve fastidium nasci, in eorum animis, qui nunc faces videbantur discordiæ Civilis.* Hæc & similia

Longavilleus, quæ eò audentiùs affirmo, quia solus ea audivi.

Mente in bellum obduratâ, Condeus monita ejusmodi spernere, affini aperire consilia, vires, societates cum Hispanis & Anglis jam initas, Regni proceres sibi addictos Marcini & Dognonij futuras defectiones. Nemaurosensem prærogativâ Sanguinis imperaturum exercitui, si sibi adversa valetudo contingeret, *Erige*, inquit, *Vexillum in media Normannia, per populos volentes, vel odio MaZZarini, à Regina avidè expectati, & venturi illuso Senatu & proculcatis ejus decretis, Quid potes à me avulsus, nisi cladem & ruinam expectare. Me primum adoriuntur, In te facilius grassaturi, cujus Præfecturæ vt vicinæ Vrbi, invident, & MaZZarinus sibi destinat.* Regerit Longavilleus. *Quæ sui juris in Normania, esse invalida munimenta, nec annona, nec Milite, firmata, nullam pecuniam penes se, sed in dies hebescentem auctoritatem, qua valida bella constant. Ergo*, inquit Condeus. *Tu me deseris, & vindictæ relinquis.* Commotior Longavilleus; *Non hoc faciam*, inquit; *Et pereant potius om-*

nia mea; Per quæcunque adversa; Ibo tibi comes, & omnibus viribus tecum periclitabor; Dextram dextræ sociarunt, mutuâ fide promissâ; *Addit Princeps, Pecuniã Hispanos suppeditaturos, Anglos copias.* Ad nomen Anglicum, exhorruit Longavilleus, Ioannis Dunonensis proles, qui gentem invisam, Galliæ finibus gloriosè expulit. *Malo meis sumptibus*, inquit; *Scribere militem. Sed si belli moles in me primum transferatur, non sum ad semissem, Regij insultûs*, Respondet Condeus, *tibi adero, & advolabo bis mille selectis equitibus, stipatus.*

Seu Longavilleus intus commotus fuerit, seu, negare quidquam Condeo in os, non satis validus, omnia promisit, me solo præsente. Gavisus Princeps quod inde pondus adderet societati, & fama invalesceret apud Hispanos & Anglos; Sed cum omnia sibi videret infensa, parat se subducere, quâ tutâ maximè viâ posset; Finito Triensi colloquio, apud suum Chantillium se recipit, vitato Pontizaræ transitu, insidiarum non vano metu. Redij ego Lutetiam rationem Reginæ redditurus habiti congressus, ac, vt

verè dicam, peperci Longavilleo, cujus fides Condeo promissa, evulgata, primos Aulæ impetus in Normanniam derivabat; & præfectum Provinciæ intra mensem ad incita redigebat, quod Principi non ingratum futurum erat; Tantillum spatij, ingens illi munus, aliter opprimendo.

Chantillium cum ad Principem venissem, reperi anxium, quod in ipso belli apparatu, omnia deessent, Nulla pecunia, Nullus miles conductus, Castra & metatio incerta; Ab Hispanis spem quidem aliquam, Ab Anglis, nullam; nam Cromwelius veterator insignis, nihil certi affirmare. Nunquam tanta rerum moles inædificata, tam invalidis, tam vacillantibus fundamentis;

Mihi cum Principe in Chantil iacâ sylvâ colloquenti, supervenit à Longavilleo cursor cum litteris, quibus se nihil in Normannia tentare posse affirmabat, nisi prius centum mille scutatos à Condeo sibi debitos, & Cheimelia vxoris suæ, in manibus haberet, quibus oppigneratis, conflaret vim aliquam pecuniæ, ad primos bellicos sumptus. Ex illo

Condeus nihil à Longavilleo ſperandum duxit, niſi ambigua ſemper & inania, Nam nec vxor marito datura erat Cheimelia, quibus ipſa indigeret tali rerum cardine, nec poterat Princeps pecuniam debitam reſtituere, cum non ipſi ad Aquitanicum iter ſuppeteret; Pollicitus tamen eſt, daturum ſe operam, vt ab Hiſpanis larga præberetur quod Longavilleo vanum, & ſi daretur recuſaturo, firmo, non tranſire in partes, ſed tempori inſidiari, nec Condeo ſe adjungere niſi victori.

Princeps exitioſæ moræ, non amplius patiens, Reginæ per virum cordatum, æquas proponit, concordiæ conditiones, captandæ occaſioni, ſecuri exceſſus, dum doloſis promiſſis Aula mulceretur; Igitur ad hæc Reginâ intendente, Ille magnis itineribus, trajecto Ligeri, ad oppidum Sulliacum, Bituriges advolat, aliquot equitum alis comitantibus; Vrbs celebris, memoriâ paterni & mitis receſſus Principem excipit omnibus prompti obſequij officijs, idem Regi imminenti factura.

Aurelianus nihil inexpertum relinquens Augervilliam mittit, revocaturus præcipitem jam Condeum, æquas conditiones, nomine Reginæ oblaturus; *Vt ſcilicet in præfecturá ſua Aquitanica, liber maneret, copijs, de quibus tantopere erat ſollicitus. ſtativis conceſſis, & ſecuris ab omni vi, & inſultu, quorum fidejuſſorem, ſe promittebat Aurelianus.* Poterat & debuerat his ſtare Condeus; Nam rediturus Cardinalis, nihil non conceſſurus erat Principi, tot munimentis inſiſtenti, præter gratiam Senatus, quam eâ ratione ſibi conciliabat; Quod ſi Mazzarinus omni ſpe reditus excidiſſet, Condeus Galliam vniverſam ſibi devinxerat, motum civilem perhorreſcentem. At fortuna rerum domina, ſævo ſemper negotio læta, optimè conſulta deſtuit. Ille miſſus ab Aureliano, non Augervilliam, vbi tunc Condeus erat, in Gatinenſi diſtrictu, ſed Augervilliam in Beoſſia, petit, ſtolido errore, Vnde non vna clades. Interim Principem, apud Biturigas; Nomine Aureliani Croiſſius aſſequitur, & proponit conditiones iam dictas. Condeus,

inconſulto fratre Contio, ſorore Longavilleâ, Nemauroſio, & Rupifoucaldio, qui propè Montem apud Rotundum aderant, non poſſe oblatis aſſenſum præbere, reſpondit. Igitur rem totam cum illis communicat. Qui vnitim averſantur, tanquam doloſum, quicquid Croiſſius attuliſſet. *Aquitaniam jam pandere bracchia expectato, & amato Principi. Omnia fervere in ejus gratiam, conducto vbique milite, Brouagium, & Blaiam parata eſſe defectioni. Hiſpanicas copias jam ſolviſſe ancoras à littore Guipuſcoæ; Nihil turpius, quam tali paci ſe credere; Nam quid ab Aureliano ſperandum, pactis violatis? An tantam vim Nobilitatis bello paratæ, Tot duces, Tot populos iam in armis, ſic ludificandos? Tundendum eſſe ferrum, dum calet, ſemper nocuiſſe differre rebus paratis.* His & ſimilibus ingens additum pondus à Chavignii litteris, qui ſerio Principem ad bellum hortabatur, *Fruſtratrices moras proponi, vt impetus deſæviret, & poſtea inermis Princeps, Clientelis deſtitutus, ex improviſo opprimeretur.*

In omnes curas deducto animo, & tot eventibus mente volutatis, Condeus bello aſſenſit,

aſſenſit, & converſus ad fratrem, ſororem, & adſtantes, nudato enſe; *Hunc*, inquit, *invitus ſtringo, non facile in vaginam rediturum; Ille erit, ille nocens, qui me reluctantem hoſtem facit.* Intutâ Biturigum ſtatione, Id Morontii peractum. Hic primum averſa numina expertus Condeus; Hic primum fortuna mutata, fidem fregit; Variè ſemper agitatus, feſſos oculos vix, labori & ſollicitudini, furatus eſt. Rectà Burdegalam petit, conducturus copias, certus de premente Rege, & brevi advolaturo; Prius quam Biturigibus diſcederet, Publicanorum ſcrinia expilavit, Regiâ pecuniâ ſibi vindicatâ; Quæ prima hoſtilis actio, malorum irritamentum.

Ferunt in tranſcurſu, Principem Santoniam luſtraſſe. Exigua ambitu Santonia eſt, opportuna ſitu, Oceano adjacens, Carentonio interſecta, Ferax frugum, ac omnibus commodis, ad invidiam luxurians. Vbertati ſuæ debet, quod magnarum rerum conſcia ſit. Præter innumera prœlia, quibus malignè ſuperbit, Inſigne fuit ad Baſſacum, Vbi cæſus Ludovicus Borbo-

nius, proavus hujus Condei, Osor Missæ celeberrimus, & Missificantium flagellum; Subijt cupido Principem, percurrere Martium Campum, & sanguine Condeano, tinctam planitem, quam inequitanti, ensis balteo elapsus excidit, Omine non fausto, apud vana mirantes, non peritos rerum, qui audacter spernunt, futurorum omnia præsagia, læta, tristia, ambigua, nec putant benignitatem Numinis, eo tangi in homines affectu, vt his rationibus velit prodere, quæ impendent.

Burdegalæ exceptus Princeps, non vt Rector, sed suppremus dynasta, regnator rerum; fraude tanti Sereni deceptus, Primum præsidem Senatus Aquitanici, expellit, vt parum obnoxium; Oppida & Vrbes lustrat, implet tyrone agmina sua, & futuro bello omnia aptat, transferendo scilicet, ex pactis, in miseram Santoniam, nimium Burdegalæ vicinam.

Nullo interposito spatio Rex deductus Biturigas, prona studia antiquæ vrbis expertus est, in cujus gratiam, Turrim præ-

altam, in quâ Aurelianus dux, posteà Ludovicus duodecimus, fuerat inclusus, solôæquari jussit; Redditâ sic optimis civibus, libertate, per eversum nidum Tyrannidis.

Condeana & Longavillea, cum asseclis, deserunt Montemrotundum, male fidum nidamentum, & Burdegalam ad Principem se recipiunt trepidæ; Paluaussius, obsidione lentâ, Persano defensatam arcem, post aliquot menses, expugnavit, aut potius ad deditionem compulit; Præclaro facinore, Polemarchatum consequutus est, per confusa tempora, promiscuè donatum, & evilescentem.

Rebus Bituricensis Provinciæ ritè ordinatis per Castellonovum, Villaregium, & Brienneum, qui mirâ fide & sedulitate omnia procurabant; Tota Aula, ineunte Novembri, Pictavij se sistit, Condeo armato instatura, per Harcurtium exercitus Regij ductorem strenuum.

Iam Gallia omnis in se commissa ardebat, aut affectibus, aut armis, ancipiti

partium ſtudio; Spectare alij paratum incendium, Alij ſe immiſcere flammis, ſed gaudere maximè Hiſpani, venenum ſpargentes diſſidij, qui per Mortaram Marchionem, Barcinonem obſidebant, Ioanne Auſtriaco, claſſe portum arctante.

Ad tale molimen, invitabat Galliæ calamitas, ſed præcipuè Barcinonis miſeranda ſpecies, vbi Peſtis acerba, capita innumera demetebat, & ſingulis diebus juvenum & ſenum funera denſabantur; At peſte ipſa peſtilentior, Marcini fuit defectio, qui Regis nomine Catalauniæ imperans, exemplo, hoc ſæculo inaudito, relicto Hiſpanis in prædam, inclyto Principatu, ad Condeum tranſijt, ex pacto jam inito. Inde Hiſpani conſcij futuri ſceleris, ſublatis animis, de Barcinone cogitarunt. Abſente Mazzarino ſi quid erratum, hoc fuit. Marcinum Catalauniæ redonaſſe, Condeo addictum, per matrimonium anxiè procuratum, teſſeram ſocietatis, & exulcerato animo, memoriâ carceris, futurum infidum.

A Principe, expectatione maiori, nihil non ſperabat Aquitania; Ille votis reſponſurus & promiſſis inexpertum militem, duce Rupifoucaldio inexpertiori, in Santones mittit; Miſello oppido Cognaco admovetur obſidio; adventu Harcurtii repente ſoluta; Culpa Carentono, fluvio declivi, imputata eſt, cui tunc placuit exundare, & excedere ripas, ponte incremento, aquarum disiecto. Talibus auſpiciis Santonia intrata, reſpuit tyrocinium belli infelicis. Ipſa Rupella, olim rebellionis Azylum, ſpirat obſequium Regis, & ſe eripit Dognonii ſervitio, Eſtiſſaco homini imbelli, ſe & ſua addicens; Hoc Huguenoticum, Rebus arduis non deſerere fidem. Idem præſtitum apud Egerii, aut divi Ioannis Angelii fanum, cuius pubis ſtrenuum robur, ingens momentum fuit Cogniacæ liberationis; Vrbecula eſt ad Botonam flumen, aut potius inglorium humorem, non inamœna, vbi obiit peſſimis artibus Condei huius avus, & pater Henricus natus; Ibi mea infantia vagiit, hic aerem primum

hausi. Hæc terra, mihi atavis Venetis, iisque Illustribus, nescio quo casu, primùm tacta; Si decora meæ gentis, à me intermissa sunt, forsan nepotibus instaurabuntur; Et Santâgelium olim me alumno gaudebit.

Biturigibus susurrus de reditu Mazzarini; Per iter Pictonicum murmur, Pictavii certa fides; Nec alio revocatore, quam ipso Condeo & Corinthio vsus est Cardinalis, dum vterque sua molimina in contraria vertit.

Regina palam aperit sibi decretum hominem iniuste exulantem pristino decori restituere. Id è publicâ Re esse; Nec amplius prolatandum. Videres aulicis artibus innutritos, simulandi & dissimulandi peritos, non potuisse animi, sui sensa premere, sed malè sagaces prodere reticenda. *Occasum Regni accelerari, Condeo vires acquiri; Factioni robur iniectum, & similia*; Non ex Aulicâ vafricie, quæ in ventura speculatrix, nunquam intima explicat, arcani animi retinens; Brienneus iubetur litteras

revocatorias exarare. Quam viro molestum, qui paucos ante menses, auctor fuerat Mazzarino, præcoci consilio, vt Romam rediret, Rebus Gallicis, in conclavi, vtilius inserviturus.

Cardinalis in futurum iter sollicitus, iam Bullionum pervenerat, fieri quid debeat, cum multis tractans, quid facturus sit, cum paucissimis, vel ipse secum, nullis melioribus consiliis, quam ignoratis.

Hoquincurtius, cum Granceo & Navallio primas tenebant, in Mazzarineo consilio, per totum hoc iter manu strenuus, contemptor lucis perpetuus; Fabertus suo more vafer, speculabatur ventura, & præsentibus insidiabatur, Sex millibus armatorum constabat moles adventantis auxilii, quod Regiis partibus grande tunc temporis momentum. Præmittit Cardinalis nonnullos ex familiâ cum litteris, ad certos amicos, & ad ambiguos, immo ad hostes infensos, multa promittens; Senatus Parisiensis acerbari, Aure-

lianus ſtrepere. Fonda ſuo more inſanire.
Paſſim Lutetiæ Mazzarinus & ſocij infa-
mari; Copiæ ad Ligerim præcludendum, &
ad Ionis tranſitum præpediendum, tumen-
tibus animis, accelerantur; Ducibus aut
Togatis, aut parum ſtrenuis, ita pugna-
turis, vt vincerentur. Cardinalis, iniqui-
tate viarum, populorum ferociâ, fluvio-
rum rapacitate, pontium malignitate, ſu-
peratis, per infeſtas acies, Pictavium per-
venit, Iter fuit placidum, vt ad pacem
properantis, quod nullus Civis, nullus
Ruſticus expavit; Nullum circa hoſpi-
tia faſtidium; Nulla reverentiâ terro-
re, paſſim amor humanitate captatus; In
omnes accincta bonitas, ad odium lenien-
dum; Nihil à cæteris Ipſe, niſi præſtan-
tiâ differre, nec requiem copori, niſi
poſt omnes dare. Interritus per tot mi-
nantia Senatus decreta, non tardare ad-
miſſiones, occurſu viſuque facilis; Irrum-
pere paſſim plebem videres, per apertas fo-
res & invitantia limina, ſecurus conſcien-
tiæ excubijs, & ipſa innocentia defenſus,
fidiſſimâ

fidissimâ custodiâ, atque insontitate, inexpugnabili munimento

Obviam Rex, & dux Andegavensis processit, ac proximus lateri Regio, Pictavium intravit Mazzarinus, à Regina exceptus verâ & ornatâ gravitate; statim agnitus major omnibus, sed sine cujusquam diminutione, major.

Servienus, & Tellerius, per Condeum pulsi, rediere, allecti, vt ante, Ministerio; Lioneus inter Aulæ instrumenta, præcipuæ admissionis, itidem cum duobus illis exclusus, pessimis artibus, irredux aliquandiu permansit, postmodùm, in æstimatione revocati, Regis & Mazzarini, immo Principum Europæ, iudicia certavere. Moleus sigillum obnoxium tenebat Aulæ imperijs. Vievilleus, quâ poterat fide, ærarii exhausti, ruinas reparabat; Hæc erat Ministerii facies.

Castellonovus relicto clavo, commeatum petijt. Redditâ regiminis ratione, brevi postea moriturus; In quibus primus esse poterat, non potuit videre potiorem, venerabilis senex, cujus sævum decorem, non

timeres, ſed veteris, Cujus potentiam nemo ſenſit, niſi levatione damni, aut commodi acceſſione. Nullâ in animo labe, facti ad humanitatem mores, meruerunt amari, forſan à blando ſexu, ſed nulla Fabula fuit; Nec ſeveritate aſperſa comitas ſupercilio nequitiam texit, aut ædes aperuit, Gallico eloquio tribunal; Virtutum omnium larem, & iuſtitiæ ſacrarium, Viri modeſtum domicilium, libenter diceres.

LIBRI SEXTI

FINIS.

BENIAMINI PRIOLI
DE REBVS GALLICIS,
HISTORIARVM
LIBER SEPTIMVS.

Arma tenenti Condeo, occursat Mazzarinus, Andegavi, & Giemij circa Ligerim, Stampis, & denique sub mœnibus Vrbis, vbi rupto Regni fœdere, cognatæ acies, Gallicum Sanguinem Germanis & invito Lotharingo præbuerunt; Tandem Condeus Regio congressui impar, discedit in Belgium Hispanicum. Mazzarinus fingit abitum, culpam motuum in solum Condeum derivaturus.

GALLIAM ingressi Mazzarini, optimè consulta, successus non destituit, etsi Pictavii, Aulæ pars, emunctior damnaret hunc Cardinalis reditum. Reverà instabile & fluctuans est, quod vocamus pru-

dentiam, in electione positam rerum, quæ aliter, atque aliter se habent; Si illæ incertæ, etiam ipsa, quia non solum devincta Rebus, sed magis ijs quæ adstant, Temporibus, locis, & hominibus; ideò obscuræ illius Virtutis, nullus certus limes; Eventus omnes humani in alta nocte, omnia præclara, & prudenter, si cum successu. Prosperum cœptum Virtus vocatur. Ergo bono eventui litandum; Huic Numini Mazzarinus non aras solùm, sed quod augustius, altaria debuit.

Sed qualis status Rerum, antequam redux Mazzarinus ad vllam expeditionem se accingeret, breviter edisseram.

Santoniâ pulsus Condeus, omnia adversa in Aquitania experiebatur, lacessente vbique Harcurtio; Hispano per imbelle auxilium, fovente dissidia; Nec factioni, sed sibi studente; Vasconibus militiæ fessis; (Nulli ardentibus motus excitant & arma induunt; Nulli exuunt libentius, & execrabilius detestantur,) Ea est indoles gentis, non eâdem diù ferre. Apud Bituricen-

ſis, nihil Condeanum præter Montemrotundum obſeſſum, nec ideò amplius eius juris. Burgundia, ita parebat Eſpernonio, vt nihil viliſſimi obſequij omitteret, demerendæ gratiæ novi Rectoris, qui falſis, & neſcio vnde accerſitis avis, ad Condeum ſe æquiparabat. Divionenſi Caſtello per deditionem, ad obſequium Regis reduce. Bellegarda, Et alia munita loca expectare pavidè Regios nutus; Bullioneus & Frater Turenius jam Condei partes fortiter deſeruerant, Mazzarino arctiſſimè ligati; Longavilleus ita ſe dubium mediumque, vtrique parti præſtabat, vt omnia ex proprio vſu ageret, temporique inſidiari videretur, & huc atque illuc, vnde ſpes major affulſiſſet potentiæ, ſe & vires ſuas deflecteret, quæ reverà exiguæ erant, & prudentia viri laudanda, qui libratis ſuis & aliorum viribus, nulli palàm ſe addixit.

Reſtabat Principi intactus exercitus, ex Marlenſibus reſiduis copijs, & ab Hiſpano junctis ſuppetijs, quem è Belgio eduxerat dux Nemauroſenſis, (ſex millia peditum

& simul equitum non excessit) His copijs Beaufortius, Aureliano iubente, præerat. Pari potestate cum Nemaurosio. Discordia inter duces etsi affinitate nexos, statim oborta, interturbabat obsequium. Et quicquid ardoris aut ferociæ attulit secum non invalida manus; Popinis, scortis, & aliis fomentis Parisinæ lasciviæ, enervatum est. Statim Castra oblita luxuriæ, intravere linteones, dulciarii, ac tractare periti ad Gynecæa pertinentia; Invitabat Vrbis vicinia corda nescia aliter mansuescere; Intra Montargium & Giemium, Briaræ adiacentia Metatio occupabat.

Præter collectitium hoc robur ex Gallis, Belgis, Germanis & Lotharingis, sola spes Condei in Vrbe, in Aureliano, Senatu, & Fonditoribus, qui in Principis gratiam, nihil intentatum relinquebant, odio in Mazzarinum stimulante, adversus quem novis & sine fine decretis sævitum, facta infamata, reditus omnes Ecclesiastici fisco addicti, licitatione publicâ vexata suppellex, suppellecticariis insuper male habitis, Bibliotheca

distracta, & luculenta librorum congeries, ornamentum Lutetiæ, sparsa eviluit. Sed quod, apud posteros, non est habiturum fidem, Cardinalis caput, pretio taxatum, illud caput, per quod Gallia super peregrinas gentes, caput nuper extulerat, circa quod tot obsequia fortunæ, à cuius nutu Maria & Terræ, Pax & Bella recta & regenda, idque per Senatum Parisiensem boni & recti præceptorem, tunc inventorem iniuriarum, antea legibus, tunc flagitis certantem. Pontifex Innocentius qui alias fulmina cœlestia exhausisset, & se fecisset exiguo tempore inermem, per emissa tela inania, vindicandæ dei iniuriæ, ridere è Vaticana sede, dignitate purpuræ, invidiæ in Mazzarinum litatâ.

Franciscus Chanvallonius Archiepiscopus Rothomagensis, ipsum Pontificem pietate superat, dum luculentâ oratione invehitur in decreta, frequenti consessu Turonibus, Rege approbante.

Præter hæc publica, Cardinalis occultis invidiæ telis in ipsâ Aula subinde peteba-

tur, atque id, ab iis quos beneficiis obrue-rat, & quorum fidem male ambulantem ob-scuritas temporum tegebat; Qui per cœca venena rebellionem inſcijs induebant, poſt nubilos dies elapſos, fœdi aſſentatores. Maz-zarinus, collecto animi robore, fortiter age-re, omnium ſomnos ſua vigilantia, omnium otium ſuo labore, omnium vacationem ſua occupatione defendere, in cuius pectore cum ingens vulnus, nulla tamen cicatrix apparebat, Interim ſuo metu facere omnes obedientes, ita, vt qui priorem viri ſortem crudeliter oderant, hanc, vel cum omni rerum ſuarum periculo, proſequi ſe velle ſimularent. Sed brevi vidimus celeri greſſu redire fortunam ad pœnitentiam, per tot lætos ſucceſſus, qui ſequuti ſunt.

Prima quæſtio fuit, an præſtaret totâ vi-rium mole in Aquitaniâ obruere Condeum jam labantem ; An recta Lutetiam petere caput & ſummam rerum, Aurelianum nutan-tem Regi conciliare, Fonditores aut ad ob-ſequium cogere, aut evertere. Potior viſa hæc ſententia, etſi Harcurtius dubius tunc fidei,

fidei, neſcio quid moleſtiæ faceſſeret, quod poſtea clarius ediſſeram.

Nemauroſenſis ille exercitus populabundus, incutere ſui terrorem, ab Aureliâ per Gergovium, Giemium, adjacentia vaſtare. Decretum properè extinguere, ex ſe ſpernendum ignem, ſed vires daturum factioni. In tranſcurſu liberandum Andegavenſem tractum Chaboto debellato. Mandata Hoquincurtio Provincia qui Beaufortio ab Aureliano immiſſo fruſtra auxiliante, intra pauciſſimos dies, Andegavum & Chabotum Gubernatorem ad deditionis neceſſitatem compulit, Ponte Cæſaris, Ceo nunc dicto, & alijs oppidis ad incita redactis. Chabotus Nobiliſſimo apud Santones ortu avum habuit præfectum maris, ac Burgundiæ Rectorem, patrem dotalibus agris imperantem, ſepoſitâ Aulicæ ſollicitudinis omni cura. Hic, de quo loquimur, ingenio, & decore corporis acceptus Margaretæ Rohaniæ, eam duxit vxorem, Condeo patre & hoc, tunc Anguiano nuncupato, maximè adnitente, ideò Chabotus non immemor be-

neficij, quoad potuit, persolvit grates Principi.

Salmurrij Aula aliquot dies immorata est Andegavensi obsidioni promovendæ. Tunc Galerum toties promissum, toties elusum Corinthius consequutus est, quem Pontifex Innocentius non tam Regi gratificando, indulsit, quam deprimendo Mazzarino, per dignitatis societatem. Quas dissidentium faces non accendit exotica hæc purpura?

Rezius (Sic enim in posterum dicendus non amplius Corinthius) natalibus & avorum gloria illustris, acer, disertus, gratiâ, amiciis, vigore animi celeberrimus, quasi pigeret virtutum suarum, quæ non properè succederent, per varia molimina, quod brevius putavit, cum ad supremum apicem, amœnum compendium, non satis prumptè pateret, fristius iter elegit, per pleraque meliore ingenio, quam fortunâ vsus, nihil tam suum credens, quam quod per amicos haberet, vbi que fallaces, repertos.

Relicto Salmurio, per Turones, Ambasiam, Blæsiam, Giemii tandem tot errori-

bus acta Aula, ſedem potuit.

Ligeris ibi ponte iungitur, ſtatio magni momenti in vtramque partem; Non poterat Rex rerum Eventus opportunius expectare, Illinc Lutetiæ incubans, hinc rebellibus copiis impendens; Quibus oppoſuerat exercitum validum Turenio & Hoquincurtio ductoribus. Aurelia, quis crederet? Regi portas clauſit; Id in gratiam Aureliani & præcipuè, eius filiæ, quæ auſa viris bellatrix concurrere, eò advolaverat, datura plebi animos.

Condeus in Aquitania remanet exſpes, laſſo vbique obſequio, Harcurtio ſucceſſus ſuos vrgente & fortunæ favori inſtante, quid mirum fretus erat regiis imperiis, quibus omnia tandem apud Gallos obſecundant Hiſpanus, magis magiſque filum largitionis ſuæ temperare; Magis irrita Angliæ promiſſa per Cromwelium, ſed quid ſperandum ab illo agyrtâ, & rerum humanarum pudendo ludibrio? Hinc Aquitani faſtidire Principem, cujus continuus aſpectus minus verendum faciebat; Non excæcabat ampliu

populorum oculos ingens fama bellatoris. Nullum animal Vascone morosius, nullum tractandum maiori arte, (eius expers fuit semper Condeus) In nullos magis insurgit illa gens, quam in eos, quos sine strepitu lucri, in se affectare imperium sentiscit. Animosa est, & detrita commoda rei familiaris, vulneribus reparatura, bellum optat, sed spe non diù capitur, nisi aliquid mordeat. Mente hæc omnia Condeus agitans, Beaufortij & Nemaurosij dissidia crescentia, exercitum ad se anhelantem, Aurelianum vacillantem. Fondæ obsequia, Parisinam expectationem etsi semper fluxam, Sed, quod primarium, Chavignij vrgentia monita, Vt properè accederet, nec vellet deesse fortunæ blandienti, Etsi per hæc Chavignius magis de Principe sibi vindicando, quam de ejus incrementis, cogitaret. Talia firmarunt in Condei animo Consilium, relicta Aquitaniâ, jungendi amatas copias, & proximandi Vrbi dominæ; Sic spe desperatione quæsitâ, ad vota properat, eo pro quo metuebat relicto, nec vxore nec filio vnico tractis in discri-

mina, Paucissimis conscijs, viæ audaci se committit, per saltus ignotos, avius, vix vlli tecto subijt, non semel deprehenso vultu, etsi manu obscurato, & nihil omisisset, vt falleret sequendi & agnoscendi signa. Secutuleia mulier ex earum grege, quæ libidinis solum non infrequenter vertunt pene index fuit Principis, ambulatorium prandium sumentis in vili pago. Ille se substraxit frustratricibus vestigijs relictis; Lassatâ temeritate pulvere sordidum, labore & vigilijs exhaustum, castra amica excepere, cantu exsonantia; Vix equo desilierat, cum exploratâ Regiorum metatione, adoritur, super mediâ nocte, incautum semper Hoquincurtium, terrorem incutit, per rapta impedimenta & viles sarcinas, magno pavore, parvo damno. Vidisses Giemij Aulæ mœstitiam & squalorem; de convasandis omnibus, sermo vulgabatur, rumpendum pontem, post elapsum apud Bituricenses Regem, & similia quæ suggerit metus ab adversis casibus. Postridiè stetere adversæ acies, palude litem disterminante; Displosis vtrimque tormen-

tis, retrocessere Condeani; Turenius qui militarem impetum auctoritate, providentiâ, virtute, semper temperavit, secundarum, ambiguarumque rerum sciens, eoque interritus, decus reportavit illius diei, & rem labantem restituit; Labor in negotio, fortitudo in periculo, industria in agendo, celeritas in conficiendo, illius apparuit. Non omittendum Regem quindecennem se se suis eripuisse, exercitum animo & gestu excitasse, quod ex vsu fuit.

Condeanæ Copiæ apud Stampas metationem suam habuere. Princeps Lutetiam petit, Aureliani animum firmaturus; id Chavigniacum consilium fuit; Quantâ lætitiâ plebis, quantis Senatus gaudijs, exceptus sit, vix æquari verbis potest.

Inter hæc Longavilleus, veritus Rebus suis, præfecturâ Normannicâ se sponte parat abdicare, imparem se putans imminenti assultui à Rege, quem passim futurum victorem, in aperto erat, acie, Condeanæ, auctoritatis, passim hebescente. Invicem Normaniæ, Longavilleo ad Campaniæ fines, Ma-

ceriæ ; Olypomontis , Caſtelli Renautij , & Linchampij præfecturæ donabantur , ſed quod erat primarium , Carolopolis, à Mantuano Duce , illi emebatur (ſupprema dynaſtia eſt apud Arcuenſes, amœno ſitu, ad ſpondam Moſæ , Belgas & Eburones ſpectans) demulcebat Longavilleum , ætate jam declivi ; Supremo imperio pollere , ſuis auſpicijs ducere lætos Senectutis dies , & ſponte ſuâ vltimas curas componere ; Normannica ingenia peroſum. Pacta à Mazzarino Regis nomine, & à Me ducis nomine Giemii ſignata ſunt, vnde poſtea irrita, ſuo loco dicturus ſum.

Lutetiæ procacia ingenia , ſed nihil vltra verba , auſura ; Quæſitum diù in Senatu , vnde conflaretur pecunia, pretium Mazzarineæ necis , nec inventus Parricida. Nullus Cardinali terror, mirabatur, ſolum cum omnia bello arderent , ſocios Galliæ in fide permanere , nullo dimoto. Aurelianus , Condeus , Senatus nova ſemper moliri ; Quibus compeſcendis , nihil viſum ſalubrius, quam relicto Giemio , apud San-

Germanum vrbi vicinum, ſedem figere; Id properè factum; Et nullâ morâ ad Regem delegati à Senatu, & à principibus omne obſequii genus polliciti; Certa fides videbatur, quam pœnitentia reponebat, & exarmata magnilitas, ſed conſenſu vnanimi, petunt amotum Mazzarinum malorem materiam.

Rex San-Germano relicto, aliquandiù Corbelij ſubſtitit, & inde Copias Principum, Stampis aggregatas, vi adoritur. Illæ repagulis tutæ, validâ defenſatione eludunt Turenii conatus, qui Lotharingo adventante, cogitur retrocedere; Rege incolumi, Corbelio reddito. Sicubi fortitudo, potentiæ, viſa eſt hebeſcere, Stampis certè fuit; Vbi, irrito conatu Rex ipſe, per exploſa tormenta non ſemel periclitatus eſt. Satius fuiſſet, hanc ſortem intentatam relinquere.

Poſt Corbelii & Meloduni ſtationem, quò propiùs Lutetiæ invigilaretur, Aula San-Dionyſium elegit. Atque ibi finem belli civilis futurum, non vanè creditum, Vrbe vacillante, etſi Eventus non adſtipulatus eſt.

Con-

Condeanus exercitus , Novigentum (Sancti Clodoaldi fanum hodiè dicitur) & adjacentia occupabat , Tavano Duce , Regius extra Sequanam , ex adverſo , prœliandi captabat occaſionem ; Ideò Epinéii , flumen parat ponte iungere , quod Condeani prohibent. Turenius cum Seneterreo ſemper collegâ , non procul Poeſſiaco oppido, alterum pontem ſtruere incipit , hoſtilibus copijs dividendis. Condeus certior factus , de imminenti aſſultu, nocte ſubſtrahit copias , Carentonii ſecurius locaturus. Non poterat opportunior ſtatio eligi , Sequanâ & Matronâ munita , apertâ Briæ planitie, annonæ ſuffecturâ.

Pariſinis ingreſſum Vrbis negantibus , ſtragi deſtinatæ turmæ , circuunt muros , quæ dum lentè procedunt, ob ambitum pomœrii , iis incumbit Turenius, in ſuburbio divi Antonii , & circa Piquepuſſium diſtentis. Repente tota Aula advolat , Rex Mazzarino comitatus, vix potuit contineri, quin ipſe ſe immiſceret diſcrimini. *Finis* , inquit , *Civilibus armis, quem quæſiſtis* ; *Adeſt.*

Quis potuit dubitare ? Vrbs se addixerat Aulæ, non tolerans, Germanici & Lotharingici fastidii; Officinis Lutetiacis, siccis adventitio lucro, quod solus Rex afflat. Dispar castrorum species erat. In Regiis Numerus, Virtus, Causa, & quod superat, præsens Maiestas. In hostilibus, terror, obsequium enerve, Inter Vrbem infensam, & Regem audacem sua sibi persequentem.

Reverà Condeus summo mane, portâ Antonianâ egressus & speculatus acriter, quo loco esset summa Rerum, & in quo articulo à fortunâ deprehenderetur, obversus ad Beaufortium, Nemaurosium, Rupifoucaldium, & adstantes. *Non verbis*, dixit, *lenio discrimen. Nobis hodiè pereundum. Pereamus igitur non inulti, quandoquidem à desperatâ victoria, in mortem dimicandum. Ei parti me destino, in quam vocabor à periculo, quod monstrabo, non jubebo.*

Assensere Duces, & omnibus vltimæ aleæ paratis, pugnatum à quintâ horâ matutinâ, in quintam Vespertinam, tam pertinacibus vtrimque animis, vt dubitem, an aliàs apud

Gallos, exemplum fuerit conflictûs obstinatioris. Sub Vrbis mœnibus, ſpectante Cive ab eventu pendulo. Aureliani filia, non infirmum prœlii ſubſidium, dum, commaſculatâ fronte, Pariſienſes pro Condeo incendit, dum Concilium Vrbis, à Regi promiſſis datis, avertit, & portas tenet apertas auxilio ad Principem, evolanti, aut redituro, dum Baſtilliæ tormenta explodit in Regios, ſignum vrbis Condeo faventis, denique dum animat Patrem, & per plateas trahit conſpicuum. De repagulis in ſuburbio agebatur; Illa ſtructa civibus, contra infenſos Lotharingos, Nunc defenſata, & oppugnata, tanta ferocia, & tanto amore laudis. Cæſi fuere vtrimque viri no[illegible] ignobiles, præter vim innumeram gregarij militis. Videres à Piquepuſſio ad Dionyſij fanum, Strages horrendas; San-maigrinum, & Nepotem Mazzarini Mancinum, in quem ſpes Avunculi, meritò recumbebat, vltimos ſpiritus trahentes ad Aulam referri, victimas Rerum. A Partibus, Nemauroſius

& Rupifoucaldius cum alijs ſpectabilibus viris, ſaucij & ſemianimes, rediere. Portâ Antonianâ liberâ, Condeus, cum ſemilacero comitatu, Vrbem ſubit, auſus, quæ niſi à fortiſſimo perfici non poterant, Magnus vbique, cæteris major vbi magnum diſcrimen; In hoc Antoniano, ſe ipſo major fuit; Neſcias; vtrum magis mireris, aut, cum periculorum exceſſit modum, aut, cum debitis laudibus ſibi temperavit, Hîc reſpuere applauſus, nec ſuos labores agnoſcere, ſine fine æſtimare alienos, diſſimilis bellator & victor.

Quid crudelius, in afflictâ Vrbe, quam ſpectare, Germanicas, Belgicas, & Lotharingas, ſtrictis enſibus, quaſi Rege victo, oberrantes turmas, ſcortorum greges, & Scyticas Mandras ſecum trahentes. Tamen inviſo examini fuit aſſignata ſedes, per SanGermano ſuburbio, & Sequanæ adjacentia loca, Pariſinis delicijs deſtinata; Culta hæc miles Barbarus habuit, Villejuvivia, Vitriaca & alia depopulatus. Nec deerant familiæ Illuſtres, quæ pabula ferocientien-

tibus vltrò mitterent, penſatura clades.

Sed ne quid extremæ deeſſet inſaniæ; Inſignibus apparuit Factio decorata, qua, cum nihil futilius eſſet, viliſſima Rerum Palea electa, Labbarum ſeditionis. In corollas intexta, lucida gluma Venuſtiorum fuit; Rhedæ, bijuges, & ſingulares equi, non niſi Paleati prodire, ſed & cucullatus grex, ſtramineus viſus, vis illata in paleatis & inſtraminatis; in re inuſitata, voce inuſitata, vtendum. Talis Paleæ triumphus inviſus bonis, & ex eo nullum granum, nec ſeminarium bonæ frugis. Vrbs nihil ſpirare, quam fidem, & obſequium Regi debitum; Aurelianus cum aſſeclis nutare. Aula augeſcere per adventitia incrementa. Normanni cum Longavilleo averſari bellum. Hiſpani per Fuenſaldagnium intrare quidem Galliam, apparatu ad pompam. Lotharingiæ ducem cum Mazzarino clam convenire. In Aquitaniâ partes Condei labaſcere; Vno verbo omnia infeſta. Nulla ſpes, niſi in Lutetiæ cum Senatu, & principibus vnione, quæ vano ſtrepitu terrorem incu-

tiens, Regem ad pacificationem adigeret, optatam & votis flagrantibus vndiquaque expetitam.

Dies erat mensis Iulij quartus, ann. 1652. cum in Palatio Vrbis, convenere viri primarij, Hospitalio Lutetiæ præfecto, & mercatorum præposito, præsidentibus, vt moris est recepti; Advenere Aurelianus ac Condeus hora quarta à meridie, cum innumeris asseclis; Excepti decorè ab Hospitalio, qui sibi non temperat, visâ in pileo Aureliani jactata illa Paleola; *Quid, seditionis instrumento accinctus venis in ædes Regias?* Aurelianus non indignatus respondit, *Omnia bene habebunt*; Vix congregato cœtu, supervenit tubicen à Rege, cum litteris quibus testatur gratum sibi forè, si dimittatur cœtus in quatriduum.

Non poterat tantillum spatii Regi negari, Solvitur cœtus, redeunt Principes, quos comitanti Hospitalio, subornatus Nequam paleam obtulit, in ludibrium, vel capturus seditionis optatæ occasionem. Hospitalius pro decoro Muneris, & suo more intrepidus; *Animus mihi, Nebulo, per fenestras te præcipitem*

dare, quod juberem fieri, nisi hæc dignitas, (Ostentavit Aurelianum) *Frenum imponeret, justæ indignationi.* Vix conscenderant Principes Rhedam, cum, vel casu, vel ex destinato, sclopo trucidatus, cecidit, nescio quis mortalis, gregariæ turbæ immixtus, quæ minax telis & verbis, ædes publicas circumstabat, Quidam asserunt, inter malè Feriatos, pravo consilio, id perpetratum; Nonnulli testantur, Principum jussu; Vt vnio cupita, aut suaderetur, aut imperaretur; Vt vt sit, inde fluxit ingens clades, Subiacens corona armatorum vociferatur. *MaZZarinos ibi inclusos, agitare pessima consilia, imminere ab illis, Vrbi calamitatem; Jam occidisse civem; Brevi expectandum grande infortunium. Immittendas faces, destruendam ædem, flammis vltricibus.*

Repente Vulgus sævire animis, armis, flammis, quæ admoventur Portæ. Primi trucidantur, vapore alii extinguntur; Fit via vi. Illa Lutetiæ visa decretoria dies. Seditione potentes, vrgere discrimen; Impacta muris armatorum agmina, Flammis ambesus paries, Ruit in atram nubem caligo, & si

ventus glomeraſſet incendium, involuebatur Greva, iam tota vaporata funereo igne, qui ita volentibus fatis, non altum elapſus, per ima regnavit. Scilicet poſt tot miſeræ vrbis pericula, hæc manebat ſors intentata; Exediſſe cives non ſatis fuit; Opportuit & comburere. Durante conflagratione & tumultuariâ coronâ; Condeus accurrere tentavit, Aurelianus retinuit, Principi timens, à commota plebe. Aureliana Virago interita accurrit, ſedato tumultu, & igne langueſcente, Quiſque ad ſuos rediit. Extincta quidem fuit flamma, non ſopita recordatio in animis æternùm victura; Et vterque Princeps, non ædes Vrbis, ſed ſpes ſuas vſſit; Hoſpitalius furtivo habitu periculo ereptus, Domo & Vrbe relictâ, ſeceſſit. Beaufortius Lutetiæ rector, & Brouſſelius præpoſitus mercatorũ, Aulâ non probante, ſed, quid ageret? prudentia victa ſuccubuit, Res Gallicas vi abditâ obterente, ac ludibrio habente.

Apud San Dionyſium ad Regem delegantur à Senatu, ex Patribus viri cordati, Princeps Legationis fuit Nemondius, qui graviter peroravit; Orationis Cardo in hoc vertebatur

batur; *Vt Mazzarinus irrevocabiliter eliminaretur; Eo remoto almam pacem Gallicum cœlum repente ſerenaturam; Hanc ſalutis Publicæ per res afflictas vnicam viam.* Reſpondit Rex, *abiturum Cardinalem, dummodo Principes arma deponerent, & ſine morâ dimitterent peregrinum Militem infeſtum & inviſum.* Longè aliam mentem Principis eſſe, Exitus docuit.

Cum ad ſuburbium Divi Antonij optime conſulta, Succeſſus deſtituiſſet, & ab Vrbe, tam nimboſo tempore, nihil expectandum; Annonæ penuriâ laborante vicino exercitu Regio, ipsâ Aulâ arctatâ, graſſantibus morbis, per Syrium æſtum; Pontizara apta ſedes legitur; Eò Rex ex improviſo ſe contulit, nonniſi trihorium iter eſt, Delegatis à Senatu, Sandionyſij relictis, quos, advolantes, Aurelianus, Condeus, & Beaufortius Lutetiam deduxerunt. Ac cum miſeri Senatores plerique, veriti Rebus ſuis, relictâ Vrbe, palabundi oberrarent, monente Fouqueto Procuratore Generali, vt loquimur, Pontizaræ collecta ſunt

membra Curiæ fluitantis, abolita recentia decreta, Nova mandata; Vmbra & ſpecies Senatus, Lutetiæ reſidua, hoc indignatur, & Aurelianum declarat Proregem, Condeum exercituum præfectum. Quod in Aula non ſolùm improbatum, ſed Toloſæ Metropoli Aurelianicæ Præfecturæ; Neſciunt rigidi Tectoſages, recti ſemper pervicaces, niſi Æquo obſequi; Nulli genti major obſtinatio fidei.

Novus Prorex novum Concilium ſtatuit, cujus pars præcipua Condeus, Seguierius Galliæ Cancellarius, Chavignius, duces Rupifoucaldius, Rohanius, Briſſacus, Sullius, ac alii; Beaufortius & Nemauroſius inter ſe contendentes, Concilio Duellum prætulerunt, quo ad Richelianam portam, litem diremerunt; Flabellum feminæ libidinantis. Ab affini Beaufortio, globo lethali tranſverberatus Nemauroſius cecidit, gentis ſuæ fato, potius quam ſuo, vir animoſus vltrà fortem, morte ac vitâ conſentaneus, demerendis omnibus genitus.

Nihil inanius illâ Concilii Aurelianici vmbrâ, quæ cito evanuit. Prima Cura de Pecunia corradenda per vrbem. In extremis angustijs Copiæ Condeanæ erant, quibus, (Etsi vastationibus & prædis abactis potuissent ditescere) male parta, pessimè dilabebantur; Ergo inventum inopiæ subsidium, ipsâ inopiâ perniciosius. Rhedalibus portis impositum Vestigal, quo Vrbs excanduit, in auctores sævitura, Excusso imposito onere. Principes cum magna parte sui Senatus, Prævident imminentem sibi tempestatem, ab Aulâ & ab Vrbe; Quam Condeus deserere constituit, de subductione sui, & copiarum seriò cogitans; Cum, non posse Regem expugnari, animadverteret, vt concederet, Sangermani per Rohanium & Chavignium petita, nomine suo, in gratiam Contii fratris, Nemaurosii, Marsini, Violei & Asseclarum, qui non pauci, occultè petaces.

Parlamentum Pontizarense totum Mazzarino devinctum, auctor illi est, per non

ſuſpectum Conſilium; *Vt totam culpam Condeo imputaturus, Diſcedat; Principem eandem telam motuum pertexturum, invidiam regni ſibi conflaturum; & vnanimi tandem conſenſu, laſsâ factione, Cardinalem regnatorem rerum, rediturum ad priſtinum decus, Gallia plaudente.* Celeberrimo conſeſſu, per Delegatos à novo Senatu, præmeditatâ oratione Rogatur Rex, vt Cardinalis, in gratiam ſalutaris Pacis, excederet, donaret hoc Omnibus bonis; Mazzarinus, *Se paratum obſequi*, Reſpondit, *Relicturum ſe libenter Miniſterium, ſi deſinat rabies eorum, qui maleficio paſcuntur, Se nec exemplo, nec vita nocentem, ne tranſverſum quidem vnguem, ab officio & conſcientiâ deſciviſſe, Nec venenaſſe in ſubditos aures optimi Regis, Nec labes in Aulam infudiſſe, Clementiam exemplo perpetuo, inſinuaſſe; & attemperandum ſceptrum indoli Gentis, malè apud Gallos per terrorem venerationem acquiri, Firmiſſimum in ijs Imperium, quo gaudent obedientes, Nihil metuendum, ſi conjunctio animorum, apud illos ſit. Abſentiâ ſua, eam procurandam. Et extinguendum, ſui ſubductione,*

incendium. Denique non æquum, Regnum Opibus firmum, Copijs locuples, Gloria amplum, propter se perire.

Pontizaræ, inter has procellas, moritur Bullionij Dux, destinatus in regimine secunda cervix, sanguinis nexu cum Mazzarino iam convento. Nihil, lacessentibus malis & accersitis omisit, ad derivandas in se clades; Ingens fiducia augebat virtutem. In partes Hispanas, pertraxerat Hispana coniux, Leonora Berkia, impotentis animi femina, Sedani Erynnis, imbuta vano Pietatis ostentu, fata domus Inclytæ præcipitaverat, Si vllum præcipitium, Turenii Nepotibus posset contingere, tanto fulgore Avunculi circumdatis.

Postquam, quicquid publicè Salutare crederet, pressius insinuasset Mazzarinus; Discessit, extra Galliæ fines; Apud Bullionum oppidum, in saltu Arduennensi, sede fixâ. In viâ, elusis, Hispano monitore, Factionis insidiis, Tomaso Sabaudico Principe, ad Regiminis speciem relicto. Consortibus Consilii, Abele

Servieno, Michaële Tellerio, ac Zongo Ondedeo, cui plurima Fides. Ea ingenia elegit, à quibus nec periculum, nec dedecus foret. Magni, Miniſtri præcipuum Indicium, non adſumere ſubſidium, laſciviens nimietate potentiæ.

LIBRI SEPTIMI

FINIS.

BENIAMINI PRIOLI
DE
REBVS GALLICIS,
HISTORIARVM
LIBER OCTAVVS.

Detersâ caligine, incipit Gallia errores suos agnoscere, & fallaces Principum insidias. Factio consenescit, Rex Vrbi redditur. Senatui decus, abrogato Pontizarensi; Fit, non viso Rege, Aureliani, subductio. Lassa seditionis vestigia fluitant, nullo duce; Tamen dubio æstu, ad Mazzarini reditum, quo omnia bona fide, tranquillata.

ASSVETÆ frœnis, Gallicæ cervices, non possunt diu à solito & antiquo jugo resilire; ac quod, tot quieta Consilia non suasere, nec minax terror extorsit; Impetravit, nullo impellente, sola Fides, mul-

to firmior per pœnitentiam repoſita, quam intempeſtivis remedijs, ſollicitata, Sed quid auſura plebs, Principibus amotis? quod mare, per ſe tranquillum, quieſcentibus ventis. Nulla in re, peritia regendi in Mazzarino major apparuit; Quam, non accendiſſe delicta, & diſcrepans in fidibus, non abrupiſſe, ſed paulatim reduxiſſe ad concentum. Inſtinctu & impetu Lutetia Regem expoſcit; In Palatio Regio congregantur Cœtus civium, vt prompta ratio iniretur delendæ Factionis; Etiam ſævitum in ejus monumenta; Nam Paleâ inſigniti paſſim per plateas aut impetiti, aut ludibrio habiti, Contrà cartaceis ſegminibus, ad obſequium reverſi, pileos incingunt, teſſera fidei in Regem.

Aula, mutatâ Pontizarenſi maleſanâ ſtatione, Compendium ſe receperat, quò agminatim confluebat innumera frequentia, Procerum, Civium, Plebis. Petrus Seguierius Cancellarius, furtim ſe Vrbi ſubduxit, diſſimulato habitu. Neſcio quâ malignâ ſorte, Concilio Principum præfuerat invi-

invitus; salubria tamen insinuaturus; Compendij à Rege benignè exceptus, & post sigillis redonatus, quæ nullus sanctiùs habuit, peritiùs exercuit, diutiùs retinuit. Decernitur in Palatio Vrbis decora Legatio, quâ suppliciter Rex de reditu rogaretur.

Senatus Parisiensis, etsi vanam illam speciem curiæ Pontizarensis spernere videretur; Tamen in sui diminutionem accipere, & bipertita potestate elanguere. Evulgato arcano, Parlamentum non solis Lutetiæ muris includi; Ac Nullam certiorem legem, quam licere Regi, quicquid libet; Ideò Iustitia Majestati adsestrix, nimirum, quia, quicquid à Rege decretum, id jure factum, censendum est.

Sed ipsi Patres conscripti inclinabant in reditum Regis, & gratias jam egerant, ob amotum Mazzarinum, qui petra scandali vocabatur, causa, aut saltem occasio malorum.

Etsi Condeus Lotharingicis, & Wittembergicis copijs validus, Turenium ad Villamnovam Sancti Georgij, quasi obses-

ſum haberet, exercitu Regio ibi ad incita redacto, tamen, quâ eſt Sagacitate, facile arbitratus eſt, non poſſe diutius impetum Galliæ totius ad obſequium reducis, ſuſtinere, nec parem eſſe aſſultui, quem tanta vis parabat. Ne ingenti mole derepente obrueretur, omni aditu ad ſecuritatem præcluſo, in Belgium Hiſpanicum, per Campaniam, ſe & ſuos recipit, eò libentius quod Turenius noctu evaſerat, Caſtris per accenſos ignes, diſceſſum celantibus; Certè Cardinali belli materie ablato, nihil Condeo amplius à populis ſperandum, minus à Fonda, cujus Princeps Beaufortius apud factioſos, omni gratia exciderat. Aurelianus feſſus laborum militiæque, nihil aliud quam requiem anhelare. His efficacibus argumentis meritò Condeus, imminentibus periculis ſe ſubduxit, cæteroquin ita Hiſpanis devinctus ſocietatis vinculis, vt nulla conditione à pactis cum ijs, poſſet dimoveri; Accedebat Illex; Claſſis Aurifera, quæ tunc à Peruviæ fodinis, expectabatur. Hoc Hiſpani oſtentu illaqueant cupidos.

descissendi; Divitiarum vanâ larvâ, quæ credulum orbem toties decepit, & decipiet. Si computentur, impendia, fortuna maris, & similia, Magno auro, parvum aurum acquitur.

Inter ista obijt Leo Buthillerius Chavignius, florente ætate, non ita fortunâ; Relictâ viâ Regiâ, quâ prospera contigerant, semitam intravit fallacem. Secunda gratè exceperat, adversa parum fortiter. Solis poterat internis bonis fidere, præparato animo adversus adventitia. Paulo ante extrema, se palàm devoverat Pietati. Inolevit id moris ab aliquot annis, apud Gallos, vt quibus non succedunt destinata, Numini se addicant, *Devoti vulgariter dicuntur, vitiorum dissimulatione, vitiosi, qui amurcâ vitæ, Deo litant;* Ita decessit Chavignius non solum religione, sed astrictiori diætâ, se exinaniens; Iis artibus mortem quæsivit, quibus vita quæri solet. Si quid leve in animo, felicitate se sustollit, quod reflante favore, deprimitur. Vitium gentis, quod damnatum, & retentum; A tali prolixitate fortunæ, quid non quotidiè patimur immerentes?

Per hæc, Gallia amittit Maritima Flandriæ, Gravelinam & Dunkercam, ac Alia assita Oppida, quæ eodem torrente fortunæ eripiuntur, sanguine & auro decorè parta.

Sed Barcino Catalauniæ caput, irritis Gallicis auxilijs, Ioanni Austriaco, toties felici, toties Magna merito, se dedit; In Italiâ, Mantua vacillare, & suppetijs pro Casaliâ à Rege frustrà petitis, Hispanis se applicare. Per tam diras clades Poterat Gallia graviores pati jacturas, Immissus Belicreus parum opitulatus, est cadenti Catalauniæ.

Guisius, ante paucos annos, dux Electus Reipublicæ Neapolitanæ, & inter sævos tumultus, captus, ac deductus in Hispaniam, Nunc libertate donatur, id maximè procurante Condeo. Iberica fuit Vafrities, Guisium Galliæ redonare, & Condeo concedere; Vt qui avorum non immemor, posset rursus moliri nova, & ciere turbas. At oblitus donatæ libertatis, & Condei negligens, choreas & astiludia cogitavit; Rursus ab eo tenta-

tum iter Neapolitanum ostentui fuit, renovaturum, in animo levi, spes accisas, per vanum ludibrium. Nullus mortalium tam vana concepit, Editus atavis, qui tam grandia, tam solida captabant.

Monsrotundus, Palvaussio, lentâ obsidione ad vltimam rerum omnium penuriam redactus, à Persano deditur, suppetijs frustrà per Briolum tentatis.

Condeus Rhetelium, Castellum Porcinum & Sanctæ Manehildis fanum, vi capit, relictis præsidijs, futuræ spei.

Lætitia Publica, festæ acclamationes, non possunt fatis exaggerari, pro Rege Vrbi reddito. Seditio, Factio, tanquam Fabulæ, cum omni memoria evanuere; Lutetia splendore lucere, vt verè aliquis dixerit, inclinantem & labantem mundum restitutum; quædam decreta in Senatu, Regij Iussis mandata. Senatores pervicaciores Vrbe exacti, supplices nihil abnuendo, Veniam omnium accepere, concordiâ subditis vtili, Regi pulchrâ.

Aurelianus Regi adventati, non fuit ob-

viam, ideò nec in Vrbe remansit; Limouriæ, Hinc Blæsis, ad finem vitæ secedere, animo semper ægro. Conjux interposito intervallo. Eum assecuta est.

Dum Res Aquitaniæ, in Regis fidem inclinant, factio nova exsurgit Burdegalæ. Vlmaria dicta, ab Vlmorum opacitate, vbi certâ horâ diei, inter seditionis studiosos, de summa Rerum, agitabatur. Præcipui, qui Senatulum componebant, Puteanus, Gajus, Villartius, Duratesta, Blancus, Gourgius, Espagnetus, Raymundus, Malavicinus & alij. Illi de Pace, de bello de Hispanicâ, de Anglicâ societate deliberare. Condeana, Longavillana, & Partes inde languere, nec certo scire, quid agendum. Contius, iam de affinitate Mazzarinea, occultè tractare; Vandomius, & Candalius Burdigalæ, priores amicitias, omni arte & officiorum genere renovare.

Harcurtius toties audax, lente agere. Fastidire Aulæ mandata, à quâ, non sibi satisfieri, querebatur. Præclara erat, meritus, & exspes, inter sordes & pericula remanebat.

Briſſacum ad Rheni ſpondam, per Veimarium, Auſtriacæ domui ereptum, remanſerat Gallici iuris, Derlacho Bernenſi Gubernatore. Ille obit, In munimento, cohorti primariæ præfectus Charlovoius ſuperſtes, facilè imperat toti præſidio, à Guebriantii olim clientelâ. Ab Aulâ, vt mos eſt, illuc immittitur Tilliadetus, imperaturus omnibus. Ægrè hoc fert Charlovoius quaſi neglectus, & Ita Res ordinat, vt Tilliadetus, coactus ſit excedere, mandati Regii ſpretâ omni ratione. Quid agendum tam dubio cardine? Ambitur munimentum, ab Imperatore antiquo domino, à Lotharingo, à Condeo. Guebriantia vidua, Ambitionis œſtro, dicam & lucri, percita; ſe exhibet, compoſitura diſcordes. Briſſacum adventat, animo Aulam, quacunque ſibi demerendi, & Charlovoium perdendi. Tali ruina non mediocria, Impotens femina animo præſumere, Imponit hamo eſcam, quam ſciebat appetiturum Charlovoium. Puella amata, Illicium fuit, cui inviſendæ miſer arce exit. Tam leve Charlovij; Quam pudendum Guebrian-

tiæ factum. Dum Ille captus per femineas insidias, Philisburgum traducitur; Hæc Brissaci, probris laceratur, ægrè se salvam Basileæ præstat.

Philisburgo præerat Harcurtius; præsidio sibi obnoxio, Ibi Charlevoius omni genere humanitatis exceptus, Illi devincitur, qui in Aquitaniâ, pertæsus Aulicæ fraudis, cogitavit de Brissaco sibi comparando, & Charlovoius de libertate. Convenitur, inter eos, Harcurtius Aquitaniæ se subducit; & Brissaco, operâ Charlovij, excipitur; Post metum, non vnum, Post spem variè injectam, tandem paciscitur cum Rege. Excedit invidioso Munimento, præfecturâ Andegavensi, Dignitate Magistri stabuli; Ecclesiastico proventu donatur; Charlovio honesta & æqua conceduntur. Guebriantia, vtrimque exosa, tædio & mœrore vitam inquietam finivit.

Pompâ solemni, Compendium iverat Rezius, gratias acturus pro Galero, maximè, præteritorem oblivionem sanciturus, & Venturi fidem. Regina aptè respondit, *Anteacta elapsa esse, futuri nullum metum.* Potuit præsul præsa-

præſagire impendentia. Nihil veritus Rebus ſuis, fallacibus amicis æternùm deceptus, per ſonantia pulpita, per Aulæ inſida, per plebis ſubdola, dum triumphare videtur; In Arce Lupareâ captus per Villequierium, in Vicennenſem carcerem detruditur. Pro libertate, captivi, non vna tractatio; tandem Nannetes deductus, evaſit ſtrenuè; Romæ, non ſine famâ interfuit Alexandri Renuntiationi; Hinc in Galliam redux, Archiepiſcopatu Pariſienſi, ſe abdicavit ſponte, in Regis gratiam; quietè vivit, ſplendore, moribus conſentaneus; Romæ quid acturus ſit, docebit ſeries Rerum.

Poſt Rezium carceratum; Condeum apud Hiſpanos ſtipendiarum, Aurelianum Blæſis ſacra in Fanis, feras in ſylvis meditantem; non potuit non eſſe, ſecura Tranquillitas. Tragœdiam tres audaciùs cæteris impleverant, ſed ad arbitrium quatuor feminarum, noſtra diù recta; Illæ neque Regno, neque ſibi, felicicis Vteri, dum ſuâ magnitudine, peccandi licentiam, metiuntur, Galliam omnem in ſummum diſcrimen vocavere. Mi-

noribus perceptis majora cogitantes, per ſuos Aſſeclas, ſe ſemper Cardinali palàm inviſo, clàm applicuere; Invicem tamen ſe procedere. Sic Mazzarinus non trium, ſed quatuor dearum libidantium, Iudex fuit.

Hæc initia, hæ cauſæ fuere inteſtini belli. Modus gerendi peſſimus fuit. Arma Civilia, neque parari, neque haberi poſſunt, per bonas artes, Atque, etiam ſcopus in ijs improbus, & Duces bonum publicum ſimulantes, pro ſuâ quiſque potentiâ certant: Pugnatur vtrimque de dominatione. Melioris Civis, & Viri puto, quovis ſupplicio affici, quam illi crudelitati non ſolum præeſſe, ſed intereſſe. Si te miſcere & adiungere, cogaris, fac, hâc lege, vt appareat Sapientem te, initia invitum ſuſcipere; Extrema non libenter perſequi, & hoc ſemper exiſtima; Qui his fluctibus ſe committunt, non magis, in ſuâ poteſtate eſſe, quam qui Maritimis jactantur. Hoc noſtrum arbitrium in re litigioſâ, in quâ facile intelligo, pugnandi ſtudioſis, me non ſatisfeciſſe.

LIBRI OCTAVI
FINIS.

BENIAMINI PRIOLI
DE REBVS GALLICIS, HISTORIARVM LIBER NONVS.

Mazzarinus redux, nihil tam ſtudioſè molitur, nihil animo vehementiùs parat, quam Negotium Pacis, Ad hoc, omnes cogitationes, intendit. Quoniam Hiſpani, hactenus, per mille artes, eam illuſerant; Extorquet ab invitis, quod Gallis, pulchrum, vt victoribus, Iberis vtile, vt victis. Galliam Serenat, hoſtes ad incita redigit, ſocios demeretur, ad Cromvveliſmum vſque delapſus, terrendis oſoribus quietis, & ad æqua, adigendis.

TAM luctuoſo ſydere percurrerant, Funeſta arma Galliam, Aſſiduum malum in Regum pueritiâ incidens, quâ ſemper turbulentâ, fœda omnia, nec arceri,

nec corrigi possunt, irritis omnibus Prudentiæ momentis. Mazzarinus, perpetuò immotus, suam innocentiam, & vim animi, tacitâ exprobatione, ingessit scientibus. Ac pervicit tot adversis; Ne quis visus, eo axe dignus, vnde excuti non potuit. Tandem aut inter se, ejus hostes commissi cecidere, aut vi ipsâ tracti, qui clementiæ fiduciâ, peccabant, ad eum sponte respexerunt. Et ejus reditus Illorum fuit beneficium, quorum artibus exiisse putabatur. Certè nullus expulsus invidiosiùs, nullus lætius receptus. Nec triumphis, honoribusque, quam aut exilio, aut causâ exilij clarior fuit Cardinalis. Cui advenienti tertio Februarij ann. 1653. Rex, cum Fratre, & Aulæ primoribus, ad secundum ab Vrbe lapidem, per Portam Sancti Dionysij, obviam processit. Qui complexus, & gaudia fuerint, testis adfuit, immensa hominum Frequentia, quos spectaculi Magnitudo conciverat, visuros Rem miram. Contra quem, tot infesta decreta, tot ductatæ acies, toties plebs armata, fremuerat, plaudente eâdem Vrbem intrare, reditu, insolito cultu, exagerato.

Rex Rhedæ receptum, in Luparam deduxit. Ad finem vitæ cum neptibus, nullis alijs ædibus, quam Regijs vsus est. Quo honore Nullus gratiosorum hactenus dignatus. Per plurimas domos mirâ alacritate novitas adventus sancita est. Et fenestris lucernis impeditis, prospectus in ignes emicantes, quos injussa plebs splendere voluit, etiamsi nefas eos accendi, nisi ex præcepto Regio, cum partis victorijs, aut felicibus eventis, publicum gaudium, imponitur.

Non diù post, in publicis Vrbis ædibus, à Magistratu, Scabinatu, & omni ordine, tanto splendore, & tam lautâ convivatione excipitur, vt vix tale aliquid visum; Ille oris sui securus, lateris & dexteræ copiâ factâ; blandùm singulis arrisit, Missilibus etiam in vulgus sparsis.

Post tantæ lætitiæ auspicia, Mazzarinus jucunda novitate, veteres amicitias anteire, omni offensarum acerbitate depositâ, restitui pristinis curis Egregio, ab odio, ad gratiam deflexu. Vbi pœnarum aut coërctionis, Res fuerat, Alijs Rex delegavit, Quid-

quid præmiorum, aut munerum, Cardinali reſervavit, qui ante omnia de ærario ſollicitus, per Vievillei mortem, Abelem Servienum, ac Nicolaum Fouquetum, Gazæ Regiæ præfecit.

Servienus, præter claritatem natalium, & morum elegantium, ingentibus negotijs par; Feraci repertorum ingenio; eloquio, & ſcribendo potens, auctoritatis Regiæ aſſertor immodicus, In abſtruſiſſima Aularum penetraverat, Arcanorum ærarii, ita rudis fuit, vt, vnde aliis conflantur opes, æs alienum conflaverit. Obiit mortem in præfectura decorè, Re familiari imminuta. Fouquetus levi cultu, ingentes animos obumbrans, non amicorum, ſed inimicorum negligens, Lucullianis ſumptibus, naturam poſſeſſor domuit, & contumaciam ſitus repugnantem, in delicias ſuas manſueſcere coegit, nullo læſo, niſi ſe & Arcâ Regiâ.

Talis Mazzarini delectus ad ærarii præfecturam non caruit cenſura, in Vrbe, quæ nulli parcit; Tunc Scitum, Cardinalis cir-

cumferebatur. *Quicquid agam*, inquiebat, *ſemper mea Electio claudicabit. Alij prolixi largitores, profundent Regias opes, Alij adſtricto more pejus Regnum afflictabunt. Neutri ſuam potentiam bene ferent, ideo diù non ferent, Vaecordes per luxum aut ſuperbiam luxu pejorem, Inſtar fluminum eſſe publicam pecuniam, quæ à mari & in mare redit, exhilaratis populis & vrbibus.*

Præcipua cura in Aquitaniam quâ à Condeo avulsâ, imminuebatur apud Hiſpanos Principis auctoritas, & potentiæ fama, Vnde bella conſtant. Vandomio, mari præfecto mandatur illa Provincia; Claſſe opus erat, præſertim ob Hiſpanos imminentes & auxiliaturos. Candalius ei junctus, Eſpernoniæ domus clientelis potens, & ſopitas ſuſcitaturus, blandis, vt erat moribus, nulli inviſus. Sed caput & ſumma rerum Deſtradius, qui poſt Dognoni pœnitentiam & reditum ad obſequium, Broagio & Rupellæ præerat; Vir variè exercitus, paci & bello bene conſulens, qui militatem impetum ratione ſemper compoſuit, & cui ſoli Aquitaniæ quies debetur accepta, Ita Mazzarinus de Deſtra-

dio loquutus est. Qui statim Bourgium, expulso Osorio & præsidio Hispanico, invadit.

Burdegala non vnius sententiæ erat; Alijs conducebat belli æternitas, Hispaniæ & Angliæ auxilia crepare; Cordatiores detestari & pacem ingeminare, dulce nomen quod non nisi belluæ aspernantur. Contius, annis pubescentibus moderari bipertitæ vrbi, & frustra ætate sese excusante, digna patrare maturâ canitie. Speculari casus, nec vllam salutem nisi in Regis obsequio, non tamen ad illud festinandum. Præcipitatâ veniæ petitione, Gratiam destrui. Marsinus, Lenetus & posteà advolans ab Hispaniâ, Fiescus, Condeanarum partium Duces, faces fuere belli Aquitanici, Nec per eos stetit, quin perenne fuerit, vt qui spes haberent in malis publicis reconditas. Sed & persentiscere Pacem imminentem, & Contij in eam propensionem. Compertum habeo de eo intercipiendo agitata fuisse consilia, quæ postea detecta evanuere. Interim Regius exercitus miseram Burdegalam premere,

premere, grassante penuriâ, plebes mussare in potentiores. Ptochodochijs laxatis Vlmistæ Hispanici auxilij lentitudinem accusare. Vittis hinc & Illinc albis & rubris se insignire cives. Labbarum album suspensum ad Campanile Sancti Michaëlis depto rubro. Primum signum fidei erga Regem remeantis; Et tandem fuit Illa victrix. Populis semper redeuntibus ad obsequium, quod morâ valescit, rebellionis destructrice. Amici Candalij & Regijs partibus addicti ire & redire viam toties, donec otium armorum, ad paucos dies impetratum est, Indulgentiâ Ducum immissa annona miseros cives sublevavit. Prudenter inita hæc ratio ad pacem. Quæ sancita cum altâ oblivione præteritæ Rebellionis; Adnitentibus bonis & sapientibus inter quos maximè inclaruit Virlada, animis, iudicio, curis.

Inter remissionem armorum & Pacis Sanctionem appellit ad Garumæ ostium classis Hispanica, Santacrocio duce. Anxiè allaboratum, vt premeretur ille appulsus; Hispani, qui inter Europeos prudentiæ laudem

ſibi vindicant, Perpendunt maturè in quo articulo Rerum deprehenderentur. Inter ſpes Burdigalæ truncatas, aſſeclas domitos. Burgium amiſſum & Liburnum, Vires Gallicas vbique victrices; Quid facerent? Conſilium fuit illis ſaluberrimum, ſine mora redire. Quod factum exiguo damno, ſed aliquo. Vandomius & Candalius non ſolum Burdegalæ fauſtis acclamationibus excipiuntur, ſed tanta eorum fuit in belligera gente fiducia, vt abdicatâ omni cuſtodiâ, ſe permiſerint Civi Burdigalenſi indocili fraudis; Vandomius facundè loqui, prudenter cogitare. Induſtriè cogitata exſequi, inſidias, & fraudes in hoſtes cominiſci efficax.

Contius Cadilliacum ſe recepit affinitatem Mazzarini ſemper animo volvens. Condea cum Enguiano in Belgium ad maritum Meclinia Manſio fuit feminæ Principi. Longavillea Molini, in cœnobio Virginum ſacrarum, diù latuit; poſt coniugi redonata, concorditer cum eo vixit, ſanctitate vitæ & morum, ad exemplum. Marſinus Fieſcus & Lenetus ad Hiſpanos rediere.

Curia Burdigalensis quæ Aginni Nitiobrigum Iura reddebat per has turbas, Vrbi primariæ restituitur, paucis mulctatis. Petrocorium & Villanovaaginnensis, depositis factionis studijs, quibus præter alias flagraverant, se Regi submittunt. Estradius reliquias Hispanorum domuit, præfuit Aquitaniæ, Burdegalæ Major creatus.

Condeus, fidens motibus Gallicis, in adventum suum, vt spes erat, erupturis, & ne apud Hispanos diutius Languesceret in stativis, numeroso exercitu Picardiam intrat, & quà latè se extendit, inundat Provinciam, Royam vsque & Noviodunum, occupatis Izaræ ripis, tanto fragore sopitos suscitaturus factionis ignes, quæ obmutuit enervis.

Turenius cum Seneterreo immissus, hoc monito, vt decretorium prœlium vitarent, quod Condeus omni sollicitudine provocabat. Fuensaldagnius, qui Hispanis præerat, id maximè declinare, ne vires validas, quibus Belgij salus innixa, in discrimen manifestum vocasse insimularetur

certis finibus adſtricta mandata habebat; Oras legere & Gallicos fines, nec ſe in viſcera penetrare. Igitur fracto impetu, Autumnante jam anno, ne vlla re geſta ad Hiberna rediret exercitus; Admota Rocroïo obſidio, ardua per Montegutij ſtrenuam defenſationem. Interim Turenius avertendo Hoſti, Mozomium obſidet & brevi expugnat. Poſt attritas vires imminuto exercitu, exhauſtos globos tormentarios & nitratum pulverem, Rocroïo Hiſpani potiuntur, Condeo donato demulcendæ iræ, quâ tota obſidione flagravit in Fuenſaldagnium, erupturâ in pejus, ni Leopoldus medius intervenisset, cum quo & controverſia, quis ſupprєmus teſſeram excubiarum ediceret. Et liti dirimendæ, media via opus fuit. Adeo ab omni ævo rixoſa Res fuit infelicitas, dum improſperis eventis, quiſque culpam in ſocium derivat.

Expugnato Sanctæ Manehildis fano; Aula nihil præter Choreas dramaticas cogitare. In Lupareo Palatio, cum Nepte Cardinalis Comitiſsâ Martinozia, Contij nuptiæ

celebratæ. Laudata prudentia Principis, qui sibi & Condeanæ domui, tali affinitate Consuluisset. Laudata & Magnanimitas, qui oblata Fratris bona generosè respuisset, Notata & fortuna, quod contigisset conjux, remoto adventitio fulgore etiam ambienda, quam formâ honestante decorabant mores; Ex potentia Avunculi nihil nisi gaudium vsurpare, nunquam desinens esse privata, etsi primis nominibus par. Mater & adfuit Mazzarini soror, quæ ex æquo cum filia probabat; Nihil felicitatem addidisse, quam bene eam ferre.

Inter hanc publicam lætitiam; Capitur apud Bruxellas, & in Arcem Antuerpianam rapitur ac post in Hispaniam Toletum, Navigio vehitur Lotharingiæ Dux Carolus, post tost stipendia in illâ gente expleta. Non temere talem casum reputavit, quem toties fortuna deceperat. Ferebatur Condeo obstrigillare, sed nescio quid contraxisse cum Gallis, agnita eorum ira, abundè monstravit. Monitus toties de ingruente periculo, sprevit omnia, Et somnium manifestum ea

nocte, quæ illi suprema libertatis in Belgio, fuit. Non ratio habenda prodigiorum, sed somniorum modicè & sine superstitione; Nam instrantibus curis, agitant sæpe per somnum species imminentium rerum: Sive illas ægritudo, sive divinatio animi præsagientis accersit.

Francisciscus Lotharingus captivi frater vrimque ambitur, quippe cui cohortes illæ Lotharingicæ parere deberent. Hispanis duxit satius se addicere, ac post nullo opere claro edito Gallicum patrocinium amplexus est, successu nec sibi nec Gallis prospero.

Anno sequenti, post Regis apud Remos inaugurationem, quæ lento glutine perficitur: (Phialam cœlo delapsam referunt, soli Regi Gallo inungendo) Stenacum Condeado præsidio munitam ad Mosam Vrbem expugnat Turenius; Monmedium in Ducatu Luxemburgico Seneterreus ad deditionem cogit, non sine sanguine; Tantis animis, situ, & opere munita arx, fuit propugnata, vt illic pene fortuna Gallica hæserit ad metam. Monsmaledictus non immerito nun-

cupatus ab antiquis, locus vivo ſilici inædificatus. Hiſpani fiduciâ duraturæ aut irritæ obſidionis, totâ virium ſuarum mole Atrebatium adoriuntur; Quis crederet tam felicia fuiſſe auſpicia Regis, vt appulſu Turenij & omni alia vi, prolixitate ſumptuum incredibili, ita expugnatio fuerit accelerata, vt, & Monmedio potitus victor exercitus Atrebatium liberarit; Quod invicto animo Mondejuſſius in extremis laborans tuitus eſt. Hîc vltimus fuit Leopoldi & Fuenſaldagnij conatus. Vix ſtilo æquari virtus Condei poteſt, Qui ſolus impetum Gallicum ſuſtinuit, & paventes Hiſpanos in tuta reduxit.

Decretum in Concilio Hiſpanico, per mutationem Rectorum Conſulere Belgio laboranti. Revocantur Leopoldus & Fuenſaldagnius, in quorum locum Legatus cum Caraceno Ioannes Auſtriacus nothus Regius, proſperis ſucceſſibus famoſus, Neapolitanis Rebus reſtitutis, Barcinone ad deditionem coactâ, vbique felix; Vix intraverat Belgium cum Valencenas à Gallis obſeſſas liberavit, Caſtris Seneterrei ſub me-

dia nocte perruptis, strage ingenti, per cæsorum acervos, capto Polemarcho Vrbem desolatam ingressus est victor; Cum Scaldi discriminante, non potuisset Turenius opitulari collegæ, nec ex binis castris vna facere. Condei Virtuti; Gloriæ pars maxima accepta ferebatur; Vt & Cameraci liberatio, cujus obsidium solvit, per medios hostes, immissis suppetijs, ipse ductor & monstrator periculi; Facinoris memoriam grata Cameracum, per numsima Sancivit, hoc lemmate. *Virgini Sacr. & Condeo liberatori.* Sed tam læta Austriaci initia atroci exitu in arenis Dunkerquanis brevi corrupta sunt; de quo suo loco.

Mazzarinus animo semper Pacem voluens, cùm, nonnisi vi & armis, Hispanos ad eam compelli posse, compertum haberet, Cromwelij animum, per Bourdeauxium tantâ solertia devinxit, vt spretis Hispanorum iteratis legationibus, Gallicam amicitiam ambiret. Vsus operâ Guillelmi Lockardi firmando novo fœderi. Hic Lockardus ingenio sagaci Mazzarino ita fuit acceptus,

ceptus, vt plura vnus in ſe negotia derivaret, quàm quicquid Legatorum Lutetiæ tunc erat. Nova Cardinali proponit, Vt vnirentur vtriuſque Regni Vires in Hiſpanum communem hoſtem. Lioneus cum Lomenio Briennæ Comite à publicis epiſtolis & mandatis cum Lockardo de novâ pactione agit; Subſcribitur vtrinque bellicæ expeditionis Conditionibus 23. Martij menſis ann. 1657. Earum ſumma hæc fuit. *Ad extorquendam ab invitis Hiſpanis Pacem. Gallicas & Anglicas copias ſimul jungendas, Gravelingam, Dunkerquam & Mardikum obſidenda. Et ſi bello capiantur. Gravelingam Gallis, Dunkerquam cum Mardiko Anglis ceſſuram, incorrupto Catholicæ Religionis honore. Duraturum fœdus annum integrum, quo intervallo nihil de Pace cum Hiſpano, niſi ex communi conſenſu.* Sed brevior æſtas illius anni, molimina avertit, Mardiko tantum capto, Præterquàm quod Hiſpani, ex tanta ſocietate, veriti Rebus ſuis, Maritimæ illi Oræ validè proſpexerant.

Obiit Princeps Senatus Pariſienſis Belleureus

pollens potensque in purpurato cœtu, Aulæ in dies magis magisque ingratus. Multum ille sibi imputare, pompâ & famulitio superbire, Equos & Canes ad voluptatis gloriam alere, supellectile vltra modum; Antecessorum ædes situ obsitas auro per illum splendescere; Sed hæc omnia ab ægro domino non averterunt febres. Successit ill Lamognius supplicum libellorum Magisteri virtute & inculpatis moribus refulgens, & in tantum laudandus, in quantum intelligi probitas potest.

Christina Suecorum Regina Magni Gustavi proles, postquam se regnis abdicasset & prima Religionis Catholicæ rudimenta Oeniponti posita, Romæ confirmasset, Decrevit varias Europæ partes animi gratia perlustrare, mores & ingenia noscere. Illecta Galliæ delicijs, hoc anno redijt nova prætexens, & quasi de summa rerum apud Neapolitanos certa, Regis fratri, spem illius Regni ostentare; Mazzarinus in prætoriò Fontibellaqueo detinebat, & quamvis sperneret, quæ inania, Regina attulerat,

adibat litteris & cætero cultu. Interim posthabito, Regiæ domus honore, mactari jussit vnum ex familiâ tanquam proditorem, & dominæ arcanorum vulgatorem, frustrà in corpore suo proculcatas Azyli leges inclamantem. Deliberatum, an remittenda insalutato Rege, an in facinus inquirendum; Satius visum reponere vindictam. Igitur Rex invisit, nihil de trucidato loquutus; & paucos dies Lutetiæ immorata, decorè dimissa, Romam redijt.

Ann. sequenti 1658. ineunte vere cum Anglis renovatum fœdus, Abele Servieno Ærarij præfecto & Briennæ Comite cum Lockardo paciscentibus. Ambiani Obsidio Dunkerquana decreta est; Cui obtegendæ, finxit Rex de Hedino expugnando consilium cœpisse. Post mortem Bellebrunei gubernatoris, Riverianus & Farganus qui præsidio præerant, excusso jugo, Gallicum & Hispanicum imperium æquè detrectabant. Eò perrexerat Aula refractarijs coercendis, sed neque Maiestatis fulgore, nec potentissimo exercitu territi, explosis tor-

mentis & hostilitatis omni genere rebellionem impleverunt. Inde rectâ Rex Caletum petit, quò vix pervenerat, cum de cinctà à Turenio Dunkerqua certior factus est, Anglorum armis Lockardo duce comitantibus, stupente totâ Belgicâ, quod deficiente pabulo, ligno, cespite vstili, tritico, non deesset animus. In hoc, vt in cæteris, Mazzarini cura notata, quæ navigiorum continuo appulsu domuit sterelitatem, infœcunditati industriâ opitulatus. Rex cum eo Mardikum invisit, quò propiùs expeditioni interesset, Sed tutius visum, Caleti Regem subsistere, dubio Rerum eventu, Vt dubius fuit. Cromwelius Falcombrigium generum ad venerationem Regis Caletum Legatum misit. *Dolere sibi, quod per ingravescentem ætatem & molem negotiorum, non liceret coram salutare Majestatem, & ejus conspectu animum explere. Dunkerquâ potiri, equidem sibi optatum, potius vt inde Regi gloria pararetur, quam vllum ob commodum, aut famam Anglicanæ Gentis.*

Beniguè à Rege Falcombrigius excipitur,

ſplendidèque & magnificè donatus rediit; Interim Dunkerquam validè Turenius oppugnabat, Leydeo Marchione validius defensante. Totius Belgii Hiſpanici, Vis in hoc, & moles, vt Vrbi laboranti ſuppetiaretur. Ioannes Auſtrius & Condeus in procinctu non procul aderant, immiſſo Hoquincurtio, qui dum explorat Gallica caſtra, lethali plumbo à gregario milite tranſverberatus occubuit, malo ſuo felix, quod imminentem Hiſpanis cladem, quærendo fato prævertit.

Turenius 14. Iunii menſis 1658. Sub horam nonam matutinam, Richelio valli curæ relicto, adventantem Hiſpanum, ivit quæſitum, & obviavit, vnde Hoſti terror. Præerat Cornui dextro Crequius Marchio, & negotium Illi cum Condeo vinci neſcio. Caſtellonautius Mauviſſerius ducebat ſiniſtrum agmen, vbi aderat Lockardus cum ſuis Anglis. Vix vnquam tantillo ſpatio temporis, cruentius pugnatum; Quicquid veterani Militis in Hiſpanicis copiis, occubuit ante ora Ioannis Auſtriaci, qui ipſe cedere coactus exclamaſſe fertur, ſe victum

à rabidis feris, nulla periculi ratione habita ſævientibus. Pauci è Gallis deſiderati. Condeus, equo cæſo, per commodatum, ægrè evaſit. Capti ſunt intimiores, Guitaldus, Melius, Boutevilleus, Collinius & alii. Intercepta impedimenta & Vexilla victori ceſſere. Turenii virtus extolli etiam ab hoſte, qui in tanto prælio, exemplum non diſciplinam monſtravit. Quid aliud expectandum ab eo, cui nullum belli genus novum & inopinum, qui totam militiam combibit, & tanto explevit vſu, à fortuna toties exercitus, ſemper aliis & ſe ipſo maior. Nulla amplius ſpe auxilii obſeſſis, Leydius ad extremum intrepidus Dunkerquæ conſulebat, & tandem tot curis & auſis impar, vulnere oppetijt, in hoc felix, quod exitio vrbis non ſuperſtes, eius muros virtutis ſuæ teſtes ſepulchrales habuerit. Huius fatum Vrbs obſeſſa ſecuta eſt, quæ Regi Gallo ſe ſuaque dedidit; Ille 25. Iunii menſis eam ingreſſus abunde ſibi ſatisfactum putans, dum priſcæ Religioni conſuleret.

Lockardus nomine Cromwelij jurejuran-

do se obstrinxit, Illæsum Dunkerquæ futurum Catholicum cultum. Vicinæ Vrbes exterritæ, Berga, Dixmuda, Furnum se vltrò Regi tradidere. Crequius ad Cromwelium delegatur celebri pompâ, Mazzarini Nepote assecla. Hæc vltima gloria Tyrannionis, qui non diù post obijt, sicca morte, Res rara. Insanivit totus orbis circa fanaticum, cujus industriæ imputatum, quod rerum Vicissitudini tribuendum; Famam illi circumdedit, hebetudo sæculi caligantis. Ejusmodi ostenta oriuntur, cum imminent transitus inevitabiles, quæ sine mora, aut extinguenda, aut tempus expectandum idoneum; Interim non agitanda mala sævitiæ, nec injuriæ accendendæ. Sæpe graviora non accidunt, ex facili tolerantibus.

Inter hæc prospera, Rex Caleti febre corripitur, lethali creditâ, Mater filii, Gallia Regis, Mazzarinus Domini fato, ingemere; Ad omnia altaria admotæ supplicationes, indictæ preces Numini propitiando. Assidebat Mazzarinus ægro noctu diu-

que; vt placabilem reddere adversum remedia, quæ aut nauseæ tollendæ, aut periculi faciendi causa, Ipse prægustabat. Vndecimâ die periculosâ habitâ, expiranti similis Rex visus, Vix allevare oculos quasi in media morte iam natantes. Tantillum vi laxatâ morbi, adstantes agnoscere, Majestate nunquam extinctâ. Sæpius obversus in Mazzarinum, (quem amici nomine blandè compellabat) rogare, liberè moneret de extremo vitæ discrimine, Cum id matri, per teneritudinem, non liceret. Philippus Dux Andegavensis Regis frater, ad quem extincto Ludovico Regnum pertinebat, modestè se gerere, Plesseus Pralinus moderabatur Illius iuventæ; Quamvis inter Aulicos non deessent, novarum rerum cupidi, antè solis occasum orientem adorantes. Rex antimonio peritè per Guenaldum, administrato, convaluit, Lutetiam deductus, in templo divæ Virgini sacro, vota solvit. Cor ex auro solido parieti anathema appensum, Hinc firmandæ valetudini Fontibellaqueum secessum petiit. Mazzarinus Caleti aliquamdiù remansit ad

Grave-

Gravelinganam obsidionem promovendam Ferteo Polemarcho expeditionem curante, dum Turenius passim per Belgium, terrorem incutit. Capta Gravelinga, ante initam Pacem vltimum Gallicæ Gloriæ monumentum.

Decesserat Ferdinandus Tertius, & ante patrem Ferdinandus Rex Romanorum, Vacua erat sedes, Natu minor Leopoldus nondum attigerat ætatem imperii capacem. Sic apertus Principum ambitioni campus; Occasio opportuna videbatur avellendi ab Austriaca domo Imperatoriam dignitatem. Arduum negotium ab avito solio deturbare Regnatricem Gentem, quæ tot annorum firmitate gaudet. Gustavus Adolphus Suecorum Rex merito Austriacis infensus de se quidem omnem cogitationem exuerat, Operam pro alijs pollicebatur. Occurebant Imperio digni in Bavarica stirpe, Bavariæ Dux Ferdinandus Maria, si potentiam spectes; Si prudentiam & maturam ætatem Philippus Guilelmus Dux Neoburgicus; Decernitur à Gallo Rege ampla Legatio, cui implendæ Gramontius Galliæ Polemarchus

& Marchio Lioneus à Rege eliguntur his mandatis. *Vt Francofurti ad Mœnum se sisterent*, (vbi indicta Electorum Comitia;) *Occupandos ibi eorum animos. Hispanica Consilia prævertenda, Obviam eundum Pennerandæ prensationibus, quem Votorum emptorem futurum constabat. Germanos de prisca libertate admonendos, & de eligendo Imperatore non Austriaco, memoria arrogantis dominationis. Ex Moguntini arbitrio, sua Consilia temperarent*, ejus Sententiâ, hæc Legatio suscepta fuerat.

Legati partes suas impigre obeunt, præter splendorem & magnificentiam, quâ non tam vulgi oculos, quam spes magnatum pascere visi sunt. Moguntinum ac cæteros decorè alloquuntur. *Regem suum non ambire Imperium sibi, sed Germano alicui Principi. Assumerent Electores dignos majoribus suis animos, nec Imperium eorum virtute partum, vnius familiæ patrimonium esse vltrà paterentur. Pacis Monasteriensis nullum fructum sperandum, quamdiù in Concilio Imperatoris Hispani præponderarent. Imminutis per tot Clades Viribus Austriacis tanto magis annitendum, ne, Imperatorij*

nominis accessione in damnum Germaniæ invalescerent. Nec pertimescendas minas pro repulsa vltionem ostentantium. Non defutura Galliæ auxilia, tuendæ libertati. In Lotharingiæ & Luxemburgiæ finibus Gallicas Copias, Electorum esse. Distractum in dissita loca Austriacum militem, non posse tam facile coïre & legem Electoribus dicere.

Moguntinus laudatâ Regis voluntate se quidem similia optare professus est, At rem voti magis quam spei esse, cum Collegæ Electores jactent sine fine Austriacam stirpem tot Regnorum ac finitimarum Provinciarum dominio subnixam, Catholicæ Religionis propugnaculum adversus Turcarum inundationes. Cum Legati Galli aliquid de Neoburgico injecissent; Moguntinus abrupit; *Non Electores*, dixit, *Eam collegio suo facturos injuriam, vt spreto tot regnorum possessore, aliunde dominum quam ex suo numero, assumerent.* Vnum Bavarum inter Electores occurrere, qui cum Leopoldo contendere posset salvis legibus. Sed Bavarum non ausurum, ideo Leopoldum non posse arceri, verum ea lege admittendum, ne Sancta Im-

perij iura lædantur, & pax publica interpelletur. Galli respondent Leopoldum legibus prohiberi, qui annum decimum octavum nondum implevisset, & quòd in Regem à Bohemis nondum electus, cuius Regni nomine inter Electores Imperii censeretur.

Tentaturus Gramontius Bavari animum, exuto Legati nomine, privatus Monachium se contulit, per Heidelbergam versoriam faciens, in causam Itineris facile aliquid commentus. Monachii apud Curtium iure Hospitii sibi notissimum diversatus est. Nihil omisit apud primarium illum Bavari assessorem. Respondit Curtius *Principem suum ea esse religione, vt rem vetitam nunquam aggredi velit, & Imperium non sibi debitum ambire.* Adjunxit Curtius. *Si scires quibus vinculis, Hæc domus cum Austriaca cohæret, quæ ignaviæ forsan nunc imputas, Prudentiæ summæ tribueres.*

Redit Gramontius irrito tentamine, frustrà Adelaïde Bavari conjuge, Sabauda, Regis consobrina, Maritum ad Cæsareum Diadema impellente. Mater Ducis Austriaca, & Curtius fœtæ Imperiis domui, non

vno vinclo adſtrictus, Bavari animum retinuere, qui ſua ſorte contentus non nimis altum ſubvolat. Sic cunctæ adverſus Auſtriacos molitiones cecidere, & Leopoldus Pragæ Rex Bohemorum electus, ſtatim Francofurtum invectus, Penneranda Hiſpanicæ Gazæ diſpenſatore. Ibi non amplius agitur de eo rejiciendo, ſed certis legibus alligando, quas in vulgus ſparſas hîc deſcribere ſuperfluum. Die 15. menſis Iulii ann. 1658. Sequuta Electio, diſcedentibus ex more Gallicis Legatis, qui in Galliam inſalutato Leopoldo Imperatore reverſi ſunt.

Extincto Ioanne Luſitaniæ Rege, conſenſu procerum vxor eius Regimini admovetur. Huic fulciendo Gallicis auxiliis opus eſſe exiſtimans; Domingum ex familia Dominicanorum, apud ſuas cogitationes intimæ admiſſionis, tentando vado, in Galliam delegavit. Hoc preſertim illi in mandatis inter fœderis ineundi conditiones, vt Luſitana filia, Regi denuberet. Benignè excipitur Domingus, ſed viſum ex decoro Legatum Liſbonam mittere, ne tanta rerum molimi-

na ex ſola fide Monachi, pendere viderentur. Comingius eligitur, vario nomine tractationi idoneus, ſtirpe inclytus, induſtrius, ſolers, fide erga Reginam inconcuſsâ, vel difficillimis temporibus, quæ falſos animos nudare, aut leves immutare ſolent. Talem depoſcebat negocii moles; Nam cum Regina vinclum cum Luſitanis averſaveretur, Non id committendum erat niſi fido, qualis Comingius præ cæteris. Mazzarinus Pacem animo volvens in hanc Comingii delegationem inclinavit non tam vt seriò fœdus cum illa gente promoveret, quàm vt in vindictam repulſæ à Lyoneo acceptæ, Hiſpanos ſcrupulis diſtraheret. Appellentem ad Luſitanicas Oras Comingium plauſu & feſtis acclamationibus, omnis ætas, omnis ſexus proſequitur, tanquàm publicæ libertatis aſſertorem. Dexteritate ingenii, Reginæ gratiam facilè occupavit, muliebri ambitioni indulgens, & id omne ingerens quod ad gloriam duceret animoſam fœminam, Exemplo noſtræ Reginæ obvio, quæ fu-

nestos nimbos solâ prudentiâ depulisset, & debellatis perduellibus, pacato Regno frueretur. Lusitana facilem aurem præbuit grata narranti, modestè, nec pro innata gentis superbia respondens, *Tantum instar sequi sibi quidem destinatum, assequi, arduum*, ac flectens oculos in vtramque prolem, quæ illi aderat individua; *Hæc laborum*, inquit, *meta est, & hactenùs me cupio superstitem, vt eorum gloriæ velificer. Abundè me Gallia demerebitur, si hanc benignè respiciat.* Nuptias filiæ verecundis verbis indicabat. Populi Lætabundi avidâ spe, & anticipatis gaudiis, incerta futuri, tanquam rata arripiebant; Conjugum nomina in faustum auspicium, publicâ voce iungentes, Præcoci lætitia, fortunam irritabant.

Plebs Lisbonica solam libertatem spirans Legatum adit, quod novum. Et septuosi Consilii pertæsa, orat rogatque eius causas aperiat, corruptam Ministrorum fidem detestata, & in vindictam minax. Comingius prudenter obsequii populum admonuit, tumultuarios fluctus accommodatâ oratione componens. Cum vlteriùs in-

quirerent in arcana Matrimonii, Vt sibi nimis familiares, blandè dimisit, non sine donativo. Inter hæc Comingius, Lusitanæ liberè animi sensus aperit, & quanto in periculo versaretur, Dissidentibus Ministris, Bellicæ rei imperitis ducibus, Populo discordi. Mentem Regis sui esse, Lusitanis in quacunque fortuna opitulari, nec discedere ab inchoati fœderis conditionibus, sed consultius rem totam per Legatum Lutetiæ perficere. Sic Comingius conscius Pedimantellæ tractationis, Illæsa Legationis dignitate, indignationi Lusitanicæ se substraxit.

Mittitur à Lusitana Sovreus Legatus, qui cum *Lutetiam* mense Maio *1659.* adventasset, apud Mazzarinum conqueritur; Nonnisi per crebrescentem vulgi rumorem, sibi innotuisse agitata cum Hispanis Pacis Consilia, pro verbis lacrymas & trunca vocis murmura effundens. Cardinalis non sibi defuit, blanditiarum palpo *Legatum* demulcens, dum se accingit ad iter pro Pace cum Haroïo sancienda, de quâ fusè libro sequenti.

LIBRI NONI
FINIS.

BENIAMINI PRIOLI
DE REBVS GALLICIS,
HISTORIARVM
LIBER DECIMVS.

Post Tractationum immensam seriem, à Coloniensi, & Monasteriensi Conventu, tandem, in Insula Phasianorum, ad Pyrenem, Pax Sancitur, Sequitur Matrimonium Regis, & Pomposus in Vrbem introitus; Condeus redux, pristino decori restitutus. Mors MaZZarini ad invidiam gloriosa. Rex inclyto Ministerio suffultus, Capessit habenas, quas mirâ felicitate attemperat, domi Verendus, vt Pater, Foris formidandus, vt Victor.

IN vltimâ parte Operis mei, licet mihi præfari, quod in Principio totius summæ, plerique professi sunt. Rem maximè memorabilem, quæ hoc ævo gestæ sunt, me scriptu-

rum, Pacis ſcilicet, arduum negotium, quod fruſtra pugnantibus rationibus Principum, tot conatibus irritis, ſtudijs in contraria flagrantibus, Mazzarinus feliciter perpetravit.

Iam primum omnium, ſatis conſtat, poſt amicitiam inter Henricum, & Philippum, Verbiniano fœdere junctam, inter belli finiti, & imminentis curas, interceſſiſſe Varia, quæ pacta reſcindere, & per ſtudia vtriuſque gentis, excedere in juſta certamina poterant, Pace nunquam immotâ, ſed modicè laceſſitâ.

Poſt mortem Henrici, in novi belli apparatu, extincti, per Ancorani & Luinei ignava tempora, in Richelium incidimus, Qui Rebus, domi feliciter compoſitis, regnandi ſeveras leges, primus apud Gallos vſurpavit; Illi bellare propoſitum, ſcilicet audacius, per externas clades, regnaturo; Ante omnia efficere, vt cum ſummi imperij nomine, omnia convenirent, Excutere recepti moris jugum, quo ſceptri libertas, decretis Senatus, & Populi commodis aſtrin-

gitur, fastiditas Rerum species, dominandi arte, ita conciliare, vt Pecunia ad bellum exigeretur, plaudentibus Populis, quibus tot triumphorum vmbra, & Viri Virtus, illudebat.

Obtentu Archiepiscopi Triverensis, malè ab Austriacis habiti, non vltrà differendum existimavit, Richelius occasionum avidus, Quin, Suecorum armis comitantibus, Hispanis bellum, non amplius per copias auxiliares, sed apertè inferret, idque Bruxellis, per Fecialem, revocato antiquo more, indiceret.

Non meum est, damna illata, aut accepta, prœlia, & strages, hîc enumerare, quibus, validæ vtriusque Gentis vires se ipsæ confecerunt. Ego contrà, hoc quoque laboris pretium peto, vti me, à conspectu tot malorum avertam, quæ nostra, tot per annos, vidit ætas, dum ad Pacem spectantia, festino.

Tam vastum Orbis Christiani incendium, extinguere paterno amore succensus, meditatur, cum Republica, Venetorum Vrbanus

Octavus, Pontifex Max. Ad Vbios, Coloniam Agrippinam, Rheno adjacentem, indicitur Conventus, quò, ineunte an. 1637. Legati Cæsaris, & Hispaniarum Regis, coïere.

Hîc incipit Pacis Tractatio, quam integram, huic libro seposui, ne saltuatim per totum opus, sparsa, legentium impetum retardaret. Sueci, Daniæ Regem arbitrum Pacis electum, tanquam antiquum æmulum, aversati sunt; Ideò Galli, in Suecorum causam proni, Coloniensi colloquio, non interfuere. Inter varios apparatus, lapsi sunt anni octo; Interim Richelius moritur, in cujus locum, suffectus, Iulius Cardinalis Mazzarinus, vltimam manum, operi erat impositurus, ni mors intempestiva Ludovici, præclaris cœptis remoram injecisset.

Tandem superatis præliminarium ambagibus, (id vocabuli tunc temporis repertum, ad primos apparatus designandos) quoniam Gallis Colonia displicita, & Gineti, ac Rosseti Cardinalium, opera ingrata, Monasterium, quæ Wesphaliæ Vrbs est,

omnium consensu, in meditamenta Pacis eligitur, idonea iudicata, Vt quæ, sublato Præsidio Cæsareo, sui iuris remanens, nulli suspecta esse poterat. Fabius Chigius Senensis, Nuntius apud Vbios Pontificius, ac Aloisius Contarenus Senator Venetus, vario rerum vsu, ambo exerciti, Arbitri, seu Sequestri, seu Mediatores, vt vulgò dicitur, nemine refragante admittuntur. Cæsarei Legati, Ludovicus Nassaviæ Comes, & Isaacus Volmarius doctor iuris; Postmodum Comes Transmendorfius supervenit, momentum ingens Cæsareæ Legationis. Claudius Memmius Avossius, atque Abel Servienus, Galliæ nomine comparuere. Ab Hispaniæ Rege Comes Penneranda, cui additus Antonius Brunus à Sequanis, qui duobus servulis scissili veste, & Rhedâ semilacerâ, plus ponderis Rebus addidit, quam dimidia pars totius Cœtus. Pro Sueco, viri insignes, Ioannes Baro Oxensternius, ac Ioannes Salvius. Osnaburgum lecta sedes protestantibus, ne Catholicis miscerentur. Ab Ordinibus Belgii fœderatis, Pauvius Amsteroda-

mensis, & Knutus Zelandus eminebant; præ cæteris Provinciarum delegatis. Longavilleus, è Regio sanguine, Princeps Gallicæ Legationis, Avossio & Servieno accessit, imperatoriâ Pompa, Monasterium intrans, totius Cœtus & Vrbis oculos, in se convertit. Penneranda post aliquot dies, nocte ingressus, seu tenebris modicitatem celavit; seu pars Hispanici Fastus, expectari duxit.

Hi fuere, Primarii Viri, qui Monasteriensem Consessum honestavere, Cæteri velut vmbræ, ab omni supremo Dynastâ; Vndè quotidiè non vna disceptatio de gradu. Præcipua fuit inter Venetos, & Septem Viros Augustales. Illi tot sæculorum firmitate gaudentes, semper sui iuris, vix deum supremum agnoscunt. Hi Imperatoris quidem Creatores, statim creato in serviunt. Penes Venetos, mansit prærogativa, vt in Concilio Tridentino & passim alibi; De admittendo Lusitano Legato, ingens fuit Controversia; Hispanis frustra reluctantibus. Galli strenuè eum tuiti sunt. Mirum quantum instar in Gallis, ob prosperos suc-

cessus. Interim splendidis nominibus crescebant dissidia, magnis odiis alimentum datura.

Fabius Chigius placido ingenio, sedulò omnia amoliebatur, quæ pacis negotium aut turbare, aut retardare posse viderentur. Intentus ad singula, Nulli invisus, Modestiâ, & compositis moribus, officia Potentum provocabat. Contarenus, ingenio acri, sed impotenti, vehementius, interdum, quàm cautiùs agebat.

Initiò Congressus, pro mortuo Vrbano Pontifice, Parentalia; Innocentii renuntiatione allatâ, Hilaria celebrata sunt. Et congressu iam frequenti, vt piis exuendi belli conatibus, faveret Deus, à bonis precationibus, captata sunt rerum initia, & lustratâ benedictione Vrbe, omnia peracta sunt, quæ propitiando Numini, valere existimantur. Non aliàs, clarioribus indicijs, approbatum, deum Pacis arbitrum, Cœtui, etsi ritè vocatum, non præfuisse. Nam quid, præter fraudes, & malas artes, ibi exercitum? Quantum pecuniæ? Quantum tempo-

ris, frustra exhaustum? Quantum Litterarum, per arcanas notas, exaratum? Quantum enodatum? Qui scrupi in minimis? Ita vt Conventus, non de Pace Orbis Christiani, sed de dignatione Principum, celebrari videretur. Nullus Cœtus insanivit magnificentius, Nec de re tanta, fuere splendidiores nugæ. Toto Cœtus tempore; Nihil molestius, jurgijs inter Avossium & Servienum, qui patriâ Majestate altercationem, non dirimente, nec ordinis, nec Regni verecundiâ, Concilij quamvis egregij, crebris contradictionibus, quicquid auctoritatis, in Ipsis erat, privatâ pervicaciâ, destruebant. Cum omnes, qui de Rebus magnis consultant, vacuos esse deceat, ab omni affectu, qui male cuncta Ministrat. Quàm indecorum, privaris odijs dissidere, qui publicè, summa juncti essent, potestate.

Ante omnia, hoc pro certo habendum, Hispanos, Lusitaniæ novo Rege, jus suum sibi persequente, Neapolitano Regno nutante, Catalaunia rebellionem implente, ad

ad impendia belli, ærario deficiente, Rebus vbique attritis; De Pacis honestis conditionibus, omninò desperasse; Gallis præsertim tot prosperis tumentibus. Ergò ad Artes, quæ prudentiæ pars est, confugiendum, existimarunt; Occasionum haud segnes, in Galliâ, vbi Regum pueritia semper funesta est, turbida ingenia pascunt, spe rerum novarum, quarum semper in illa gente, larga seges. Sed Primaria cura, de fœderatis & socijs abstrahendis. Suecos per Imperatorem aggrediuntur, omnia pollicentem, dum dissociarentur à Gallo. Hollandos speciosè tentant, per indubitatam libertatem oblatam; Ius integrum navigandi, & nihil imminutam partorum, coalitam possessionem. Apud Suecos tenacitas propositi illibata fuit, ac Imperatoris artibus, nihil peruium, in Gente decoris & fidei semper servante. Fœderati Belgii Res magnis contentionibus agitabatur, Non solùm inter Provincias; Sed in ipsa Hollandiâ, aliud aliæ vrbes, nec intra vrbes, idem omnes volebant, vt quemque spes propriæ,

valida argumenta, impulerant.

Legati Gallici, antequam Monasterium adventarent, Hagæ aliquandiù commorati sunt, vt quid vsquam infirmum, aut malefidum rimarentur, præcipuè mentem Orangij, cujus vxor pretio occupata arguebatur Principi, ætate jam provectâ, laboribus militiæ fracto, filio vnico nondum valido, post tot decora Rerum, receptui canere, tutum videbatur. Plerique prudentiorum sic disserere. *Impendia non posse amplius sustentari, Nec bellum geri vlla bona cum spe, nihil ab eo, nisi damna, cujus aberat necessitas, ac justè metui, ne Plebs, infensa Rectoribus, onera detrectaret. Ergo audiendum de Inducijs, aut potius de Pace, dum modo Libertas, non sub conditione, aut in diem, sed simpliciter, atque, in perpetuum illibata servaretur.* Alij Contrà, *Non pacem Hispano cupitam, sed vt suo magis, quam fœderatorum tempore, bellum gerat, aut quod bello gravius, per discordias, & dona, affligat Rempublicam, dum robur militiæ diffluat.* Tandem concludebant. *Saltem nullam admittendam pactionem, nisi Gallo non solum conscio, sed quasi fidejussore.*

Hæc Hagæ, & paſſim per Belgium fœderatum iactabantur, cum mediatores, Monaſterii, officiorum artibus, ſpes *P*acis ſuſtentarent, & Legati Regum, mutuis ludificationibus, moras traherent, cavillando. Omnis Conſeſſus, damnoſæ moræ, non vltrà tolerans, finire, quàcunque colloquium ſtatuebat; Cum tanto ſpatio, nihil niſi verba darentur, in ambiguum implicita, & quæ à ſucceſſu quotidiano armorum, quiſque pro arbitrio, interpretabatur.

*P*rimo ſuo ſcripto Galli, ante omnia volunt; *Treverenſem Archiepiſcoporum, belli cauſam, libertati aſſertum, Vt omnibus ſocijs ſatisfiat, & poſſeſſio partorum remaneat.* Cæſarei Legati reſpondent. *De Treverenſi, non alienum Imperatorem, ſed ſubditos ſuos, ſibi adæquari nunquam concocturum.* Hiſpani. *Omnia ſibi reddenda, quemadmodum Cameraci & Verbini, contendebant. Bragantiæ ducem, nequaquam includendum pactionibus, tanquam rebellem, & injuſtum vſurpatorem.* Interea, Suecum inter & Danum ortum bellum, non tam ob tributum Baltici ſinus, quam vt, diſcordiæ obtentu,

Danus ab omni tractatione excluderetur; *P*er hæc, Octo menses Monasterii otiosè effluxerunt. Compositis dissidiis Suecicis & Danicis, per Thuillerium Legatum Gallum; Tractatio redintegratur. Imperator, Treverensem libertate donatum, in integrum restituit, Philisburgo, Gallici juris relicto, Vt posteà permansit.

Interim Galli maritima Flandriæ occupant, & Dunkercanum munimentum; Vnde Gallica potentia fœderatis Provincijs, suspecta esse cœpit, Et de dissociatione, cœptum agi seriò, quòd Mazzarinum minimè latuit. Ideo visum, Servienum ad nutantes Hollandos, delegare.

Avossius in transitu, pro sua pietate, de ritibus Catholicis indulgendis nescio quid Hagæ monuerat. *Darent videlicet hoc consanguineis, darent suis quisques majoribus, ne probatam ipsis Religionem, sævius odissent, quam nova & dissolvendis Imperijs nata, Anabaptistarum placita, qui apud fœderatos exclusis Catholicis tolerantur*; Hæc in sacris discordes turbaverant.

Servienus Legationi aptior visus est. Et implevit eam decorè, vt erat vi animi, & eloquio potens, Hagæ facundè peroravit. *Tandem*, inquit, *Artes majoribus vestris formidatæ erumpunt; Ergo vos immemore Parentum virtutis, qui Regum de pace legationes, non vt amicorum Consilia, sed vt hostis insidias, vitavere; Si fraus nulla subest? Quare palàm non agit Penneranda? Honesta & salubria latebrosis artibus non egere. Præceps est, in belligerâ gente, mollities; Suspectum, à Rege non victo, exhiberi, libertatem, abdicati principis confessione, munitam. Etsi eam, vi armorum, obtinetis, sed quæ ab Hispano accepta, Prima via est ad servitutem, numquam id animi Philippo, vt Imperij sui iura proijciat, sed Batavis vsuram brevem concedat, temporariæ libertatis. Reges mora valescere, vbi odium obsoleverit, & memoria præteritarum injuriarum, redire populos, ad obsequium, Per pacem, metuenda securitatis vitia. Quiescentibus armis, numquam quiescetis; Insidiarum tristes eventus frustra, perhorretis. Tot Munimenta, tot Copiæ navales, Tantum robur Equestre & Pedestre exercitum, Circumfusus Oceanus, & Virtus Inclyti Ducis;*

(monstrabat præsentem Orangium) vos defendent, ac quod superest Arma comitantia mei Regis, qui non adeo vestri eget, vt opem sit laturus, Consilia sua aspernantibus; Hoc ab amico, à primo fœderato, Hoc à provido Rege, monitum venit, Cujus, id vnum interest, vt salvi, sitis; Non vos voco ad belli æternitatem, Pacem ingemino, sed eam, cujus per Gallicam cautionem, futurus sit securus exitus, & ad id sociatis consilijs, opus esse.

Mirum quantis animis, per omnes Consessus, Res acta sit; interdum nec Mazzarino parcebatur, quasi in fœderatorum malis, spes haberet reconditas. Hagam clam à Penneranda immissi, qui in omnia penetrarent, quod Servieno non ignotum. *Ad quid*, inquit, *Exploratores, nisi tentaturi, si quid vspiam, pretio & fraudi, pervium?*

Servienus sive facundiâ, sive argumentis, hoc impetravit, vt Neuter, nisi volente Socio, cum Hispano communi hoste, pacisceretur; Redijt Monasterium, postquam Provincias vnius, fecisset sententiæ, quod illi honorificum. Mazzarino semper insi-

dum, nescio quid, ab Hollandis subolvit, Nec eum eventus fefellit; Magis magisque exosi Galli, quorum arma, in exitium Hispanorum, invalescebant. Monasterij pendebant deliberationes, Cuncta tardè procedebant; Prioribus nondum confectis, nova dissidendi Materia, Nec facilè negotia explicabantur: Minorum Principum Legati mussitare, nec dissimulare; Nolle se, esse ejus Fabulæ spectatores, Cujus Scena omnis Lutetiæ, & Madriti struebatur.

Hispani tantâ arte, sua concinnabant, vt nemo non illis armorum otium, nobis bellandi cupidinem imputaret, & sicuti Turbarum initia Richelio, sic Quietis moræ Mazzarino, assignabantur, cui mos sequi tuta, eoque tardiora; Ab initio illi prævisum, Non posse, ab Hispanis, nisi armorum vi, pacem extorqueri, ideò & intestinis & externis bellis incumbendum, vt vbique victrix Gallia, Pacis morem imponeret.

Monasterij post varia scripta irrita; tandem ab Hispanis; Hoc tanquam decretorium prodijt, quod per Arbitros, nostris le-

gatis consignatum. *Hispaniæ Regem, in gratiam optatissimæ Pacis; Cedere Galliæ Regi, Comitatum Russinonensem, Perpetuam artarum, in Belgio, & Comitatu Burgundico, vrbium, possessionem, dum modo Lusitania vindictæ Hispanicæ relinquatur. Lotharingiæ Duci satisfiat, Quæque in Ditionibus Sabaudi, & Mantuani, ab vtroque Rege intercepta, reciprocâ restitutione, legitimo domino assererantur, De cæteris in Italia, Arbitrio Pontificis, & Venetorum Reipublicæ, se staturum pollicebatur, Res Imperatoris & ab Imperio pendentium controversas, Osnabrugensis Cœtus pactionibus, reservandas.* Hæc circiter Ponneranda, sed animo cavillandi, & tantum ostentui, quo Hispanos ab invidia belli liberaret, & in Gallos totam derivaret, Socijs & fœderatis, sic ansâ datâ, à nobis desciscendi. Tunc fama percrebuit, Pacem sancitam, non solùm Monasterij, sed per adjacentia; hinc in dissita; Arbitri ædes Longavillani, lætabundi perveniunt. Vidisses subita luce vultus illustres; Chigius quasi prostratus Longavilleo, orat rogatque; *Vt Rebus supra spem omnem egregijs, contentus, mi-*

nuta

nuta non nimis anxiè, cum Collegis expenderet, ac pennam oſtentans, Arripe, & ſubſcribe; Hæc penna plus tibi gloriæ partura eſt, quam ille proavi tui Dunonenſis gladius, quo Anglos Galliæ expullit, & patriam levavit impotenti imperio;

Hæc autem oſtentaverat Penneranda, præclara quidem, ſed ſubdola. Galli reſpondent multa de quibus jam convenerant, ab eo prætermitti, primum de Bragantio Luſitaniæ ſive Rege ſive invaſore, nullam fieri mentionem; Lotharingum, reſtituendum quidem, ſed non in integrum, mulctandum toties fœdifragum, aliqua parte dominij, ſaltem Nancei minantia munimenta, æquanda ſolo, vt bis nocendi poteſtate ademptâ, moderantius in poſterum ageret; Duartum Bragantium carcere liberandum, & non pauca alia, quæ jam diſcuſſa, Galli aſſerebant, callidè Penneranda omiſerat, & tanquam nova cauſabatur, Hîc hæſit ſumma negotij;

Mazzarinus Legatorum prudentiâ laudatâ, hortatus eſt, vt curas omnes in Suecos,

& Hollandos intenderent, non credibile Pennerandam, ſic immorari futilibus, niſi de illis ſecurum.

Inter hæc omnia vertebatur annus 1648. cum menſe Septembri, Galli Legati, teſtati ſunt, Se in recentiſſimis mandatis habere, Non ampliùs inſiſtendum negotio, niſi Lotharingica, eo modo, quo ſuperius dictum, Procederent; Hollandi Pacis impatientes, & Gallicos ſucceſſus, limis oculis intuentes, Arripiendam occaſionem rati, inſcijs Gallis, inſcijs Mediatoribus, cùm Penneranda paciſcuntur; Ita Creditum.

Galli non ſatis concoquentes, Hagam conqueſtum miſerunt. Tantum abeſt vt inde aliquid in Gallicæ amicitiæ gratiam, impetratum ſit, quin Induciæ, in perpetuam pacem mutatæ ſunt, incolumi commercio, & partorum poſſeſſione Pauvius Amſterodamenſis Legatus, totius pacificationis pondus, contra ſex aliàs Provincias ſuſtinuit; Knutus Zelandus, ſtrenuam operam etiam in hoc navavit.

Sic per tot annos Gallicis copiis, conſi-

liis, pecunia, ſuſtentati Belgæ fœderati, amicitiæ vinclis, Hiſpanis hoſtibus, iuncti. Tantùm abeſt, vt vllum inde damnum emerſerit, quinimmò, gloria ingens; Nullis ſociorum armis comitantibus, Hiſpano ad Pacis conditiones, nobis ſplendidas, adacto. Sic Legatione eluſa, tot coitionibus fruſtra tentatis, re infecta, Conventus à Tridentino celeberrimus, eâ nationum celebritate ſolutus, eſt.

Oſnaburgi eodem fere tempore, Fœdus pactum eſt Germanicæ Pacis, abſque Hiſpanorum interventu; Hâc clauſulâ, vt Galli, pactionibus aſſentirent, Suecis decorè in id adnitentibus. Imperii proceribus & Civitatibus ſatisfactum, in hoc præcipuè, quòd impune illis ſit, Ex animi ſententiâ, Deum colere; hoc eſt, libera poteſtas, ſacra ſuo modo peragendi, Id, Chigio nuntio, vſque adeo perdoluit, vt laceratis Cartis pacem ſpectantibus, nihil amplius auditurum iuraverit; Suecis Pomerania citerior acceſſit, cum aliis adiunctis. Bavarus Superiori Palatinatu auctus, Nobis Alſatia, cum nonnullis annexis,

vrbibus cessit, certâ pecuniæ summâ, nomine damnorum attributa, ad Austriacæ domus, damna sarcienda. Succorum etiam ratio æqua & honesta habita.

Fini totius operis adscribenda proposita Monasterii, Osnabrugi peracta; & tandem in Insulâ Phasianorum clausa & conclusa, illâ decretoriâ Pace, quæ hodie viget valetque, vtinam per secla;

Sic negligentiæ non tenebor, si hæc prætereo, tædium mihi, & alis nauseam motura, non aliter, quam Pisana bella Guichardini quæ, cæteroquin luculentùm opus, dedecorarunt. Varii per Europam rumores, defrustrato Pacis desiderio, Aliis culpam in Gallos, Aliis in Hispanos derivantibus, Inde libelli, fomenta discordiæ, Per quem autem steterit, quominùs Monasterii Pacis negotium conficeretur, non vno volumine exsequendum.

Mihi, compertum ex litteris Longavillani, ad Mazzarinum; *Hispanos sua tergiversatione, Hoc spectasse, vt semper quadam capita subducerent, quò faciliùs factâ demum, cum Hollandis Pace,*

Gallorum ſpem fruſtrarent; *Et cum Mazzarinus vereretur*, *ne Galliæ oratores*, *mandatis Regijs nimis aſtricti*, *ortas difficultates*, *ex tempore dirimere*, *nequirent*; *frequentibus litteris*, *à Longavillano quæſiviſſe*, *nunquid adhuc remittendum de jure Regio*, *vt Rei poteſtas illi plena tribueretur.* Ad hæc, Longavillanum Reſpondiſſe, *Hiſpanos ab omni compoſitione alienos*, *id vnum moliri*, *vt à Gallis ſocios abſtraherent.*

Hoc Autographis mihi non ſemel lectis, probatu facilè. Galliâ per civiles motus poſteà ardente, Hiſpaniarum Rex, cordato viro potentiſſimi Principis Legato, candidè aperuit; *Nullis mandatis*, *ad pacem potuiſſe Penerandam Monaſterij adigi*, *& ne illam ſancire cogeretur*, *novas ſubinde cauſas quæſiviſſe*, *ſed eventum comprobaſſe*, *id prudenter factum ab eo*, *cum intra annos quatuor*, *vrbes ampliſſimæ per diſſidia Gallica receptæ ſint*, *quibus per pacta Monaſterienſia cedendum fuiſſet.*

Mazzarinus inter tumultus civiles, nihil intentatum reliquit, inſtaurando Pacis colloquio. Contarenus eius rogatu, per annum integrum, negotio operam dedit, etiam de

loco eligendo inter Galliæ & Belgii fines; conventui idoneo; hæc omnia Penneranda respuit, occasionum ex motibus Galliæ, non segnis. Nam, vt aiebat; *Si Rebus Gallicis primo Regiæ tutelæ tempore florentibus, meus Rex, à Pace fuit aversus, quare vigente bello civili, turpes conditiones accipiet?*

Tandem Vautortius Bruxellas mittitur; Huic Pennerandâ se totum aperuit, *Nunquam se animum induxisse, vt jactatis Monasterij Pacis conditionibus, subscriberet; & si annuisse visus sit; Has adeò iniquas, vt nullus sit Hispanus patriæ amans, qui eas non respuat; Et si eorum qui hodiè vivunt vecordia, eo vsque processisset, vt huic pactioni starent, ex ipsorum ossibus exorituros, qui fœdus Monasteriense dissoluerent.*

Vltimum tentamentum, fuit per Lioneum, qui Cameraci nihil omisit, quo Pennerandam ad tractationem impelleret, sed inanis fuit Lionei conatus, mente immotâ Pennerandæ, amissa omnia repetentis, qui in Hispaniam posteà profectus, gestorum rationem reddidit.

Super ſummâ re, in Concilio Hiſpanico ancipites curæ; Penneranda ſive ita cenſeret, ſive decori Legationis ſuſtinendo, præſente Rege, celebri conſeſſu, affirmat; *Pacem Mazzarinum nec velle, nec debere velle.* Varia adduxit argumenta, firmandæ ſententiæ; Fuenſaldagnius etiam abſens, per litteras contrà aſſerebat; *E Re Mazzarini eſſe, Pace potiri.* Ludovicus Haroïus, cui fidem adhiberet, incertus erat; Sic duæ Hiſpaniæ Regem, diſtinebant ſententiæ.

Moritur interim Innocentius Pontifex, Fabij, Cardinalis Chigij, toties nobis memorati, fit Renuntiatio. Alexander Septimus nuncupatus eſt, idque non deliberationum moroſâ trutinâ, ſed impetu, & procurſu; In auſpicijs novi Pontificatus exultavit Chriſtianus orbis, ob talem ſibi datum, his procellis & fluctibus rerum; Ac meritò, nam ſecunda fama Chigij, ſic jam ante invaluerat, vt Sacri Collegii ſuffragia, apicem quidem huius honoris contulerint, ſed vota omnium deſtinarint; Rara felicitas, iudiciis dignitatem poſſidere, antequàm, in-

fulis præferre & cenſeri Pontificem, non-dum eſſe; De Pace omnia ab eo ſperanda, credidit Mazzarinus.

Lioneus Renuntiationi Alexandri interfuit, cui confeſtim de Pace monenti, novus Pontifex, Romæ perpetrari poſſe commodius, quam vllibi terrarum, Reſpondit, Id viſum abſonum, tum ob ditiones, quas in Italia Hiſpanus poſſidet; Tum ob Regnum Neapolitanum, Romæ conterminum; ſed ad Liguriæ oras, inveniendum Locum, quo Primarii vtriuſque Regis Miniſtri, convenirent, cum ſumma, ſanciendæ Pacis, poteſtate, dummodò Summus Pontifex arbiter adeſſet. Fruſtrà pertentatis omnibus viis, quibus ſuſcepta Res ad exitum perduceretur, decrevit Mazzarinus Hiſpanorum animos explorare inauditâ & novâ ratione, quæ, Florentiſſimis Galliæ Rebus, ignaviæ aſſignari non poterat, Mittendi ſcilicet Legatum ad hoſtes, qui eos ad Pacis non modo honeſtas, ſed etiam commodas conditiones ſollicitaret; Conſilio, quod animo verſabat Mazzarinus, occaſio talis oblata eſt.

Anno

Anno 1656. à Belgio in Hispaniam, per Gallias iter faciens, Gaspar Bonifacius, Reginæ in transitu, congeniculans, Quantoperè Hispaniarum Regi, Pacis desiderium insideret, liberè patefecit, & quam seriò de eâ sancienda per æquas conditiones, cogitaret, non celavit, Dummodò aliquis Fidus, cum summâ potestate, Madritum delegaretur.

Non diù expendit Mazzarinus, cujus fidei Legationem crederet; Vllum, præter Lioneum, in rei summæ secretum admitti, Intutum visum est, Igitur ejus operâ vsurus, Româ accersiverat, virum, quo nemo aptior suppetebat. *Est Lioneo Antiqua gentis claritudo apud Delphinates, à prima juventa, Aulæ alumnus, intima apud Mazzarinum admissione, & varijs Legationibus, regimen addidicit, Animus sui celans, verborum parcimonia, potiùs quam illecebris potens, nihil nimium sibi imputare, etsi prosperis successibus laudem & gloriam adepto, A nullo ingenio avaritia & sævitia longius abfuere.* Iis dotibus præditus, tanto negotio admovetur, non solùm primis Pacis quæ-

ſtionibus delibandis, rejectâ in aliud tempus pactione, ſed vt, ſi qua æquitate, Res ad otium deduci poſſet, intra octo dies transigeretur. Pactaque, in vulgus ederetur; Nulli ſoli, conceſſa tam honorifica poteſtas, quam Rex, manu perſcripſit, atque ſubſignavit, Quatuor viris, ab epiſtolis, inſcijs. Verba ſyngraphi, hîc adſcribenda duxi, quippe, quo fundata Pax, tam diù fruſtrata, ac primus ille dies poſt octodecim annos, affulſit futuræ ſerenitatis.

Huic Lioneo, mihi ab interioribus conſilijs, poteſtatem facio, Pacis conditiones, inter me, & Catholicum Regem fratrem avunculumque meum, componendi, tranſigendi & ſubſignandi; Atque, hujus ſcripti virtute, quæcumque prædictus Lioneus, meo nomine conceſſerit, ea me probaturum, rata habiturum, ac exſecuturum, Recipio, & interpoſitâ fide Regiâ, ſpondeo; Datum compendij Calend. Iun. M. DC. LVI. Quem ſyngraphum, cum Rex in cubiculo Mazzarini exaraſſet, atque ſubſignaſſet, illum Lioneo in manus dedit, præſente Nobili Hiſpano, quem

his verbis, magni ponderis & momenti, sic affatus est. *Regem Dominum tuum fac certum, quem coram vides, Lioneum à me eligi, Plenipotentiarium meum, ad pacem conciliandam, Mihique, nihil esse antiquius, quam, vt ea citissimè sanciatur, vt meæ in Regem avunculum meum, voluntatis, monimenta exhibere possim.*

Hispanus effusis lacrymis, Regis pedibus advolutus, respondit, se tanti Regis mandatis sine mora obtemperaturum; Lioneus, facilè aliquid in viæ causam effinxit; Exorsus iter privata virtute & viribus Regni tutus, mutatis vestibus, ne notis in secreto negotio vteretur, sub crine adoptitiolatens, mercatoris specie. Tali cultu, suspicioni ereptus, vigesimo Iunij, die dicto, ad Pyrenei radices, in vtriusque Regni finibus, præsto fuit, Vbique alta taciturnitate, qui ejus mos, simulationem obijt, itinere sociato, cum equite Hispano, præstolante; Madritum pervenit incolumis, De causâ viæ, nullus rogavit, ne quidem vultu ejus à quoquam explorato; Rhedæ mittuntur obviam, & in palatium Regium clam deducitur, vbi inclusus,

trimestri spatio, cum Ludovico Haroïo, cui similem syngraphum, Hispaniæ Rex dederat, De controversijs feliciter transigit, & parum abfuit, quin de Pace initâ, famâ percrebresceret, Antequàm de eâ agi, quisquam audiret, Tantâ prudentiâ & silentio omnia peragebantur, Quæ capita præcipua pactionis, non hîc adscribenda duxi, cum fini operis (vt superius dictum) integra tractatio sit apponenda.

Per Condeum, ad metas hæsit, Lionei sollicitudo; Non satis habuere Hispani; *Tantum exulem, præteritorum, Veniâ impetratâ, Facultates suas recuperare, Jllis, & gratiâ Regis potiri*, Quæ omnia Lioneus pollicitus est. Sed insuper exigunt; *Vt in præfecturas & munera pristina restitueretur:* Quasi in paria peccasset, atque id tam pertinaciter, vt æternum bellum Paci prætulerint; Potius quàm dimoveri, se sinerent, ab illa petitione, vt videlicet in animis Gallorum, hoc invalesceret; *Quoquo loco sint Res Hispanorum, malè nunquam, cum ijs agi, qui ipsorum commodis studeant.* Lioneus hanc adoream sibi

ereptam, ægrè ferebat, materculæ non ab ſimilis, quæ fœtum jam adultum, caſu aut incuriâ enectum mœret, nec dolori moderatur.

Paucis ante diebus, quàm Vale diceret Haroïo; Vicies inculcat. Sineret hæc tria verba; *Præter munera ac præfecturas, conditionibus jam pactis, inſeri, & extemplo, finem tot malorum futurum, & ſerenum Pacis & affulſurum, vbique gentium;* Negat Haroïus, hoc à ſuo Rege impetrari poſſe, ac dimiſſo Lioneo, tanta arcana diù preſſa apud nos, Hiſpani diſſimulatâ veritate, evulgarunt. Mazzarinum & Monaſterij, & Madriti, ſemper ludificatum Miniſtros Gallos, & ſibi gloriam Pacis, reſervaſſe, Indubitatum. Qui ſecus credit, ignarus eſt, & Mazzarini, & rerum Gallicarum, Ac per invidiam, veritatem premit.

Electores Moguntinus & Colonienſis, cum Franconofurtum, conveniſſent, de Cæſaris Electione acturi, hâc occaſione arreptâ, ad actionem de Pace, adeo provectâ, inſtaurandam, vtriuſque Regis Legatos incitarunt; Decem menſes Penneran-

da extraxit, mandata sui Regis expectans; Hoc elapso intervallo, Electorum studium elusit, toties repudiata repetens, ac interminatus; *Si qui ab Electoribus Legati ad Regem suum mitterentur, daturum se, operam vt probrosè Madrito expellerentur, nec Tugurium quidem ad diversandum, illis præberetur; Ante omnia, citra vllam contentionem, reddenda quæ Gallis jure belli cessere, Lotharingiâ tota cedendum; Bragantium deserendum, Condeum, in pristinas dignitates restituendum, Nisi has conditiones, à Gallis acceptas certò resciret, ne in colloquium quidem venturum;* Dum hæc Penneranda, sine fine jactat, ad annum 1659. pervenimus, quo tandem Pax perpetrata.

Circa finem anni superioris 1658. per Burgundiam, non satis quietam, Rex Lugdunum adventat, quò etiam Christina Henrici Quarti soboles magnanima, Sabaudiæ ducissa, cum Margareta Filia; Quam Regi despondendam, fama vulgaverat. Tam blandè, tam honorificè, Vtraque excepta, vt nihil suprà. Huc & properavit, magnis itineribus, Sabaudiæ dux, flore juventæ decorus

Stirpem , efficax natura demonſtrabat, tam valida, vt repente omnium mentes in ſe converterit. Iam Rex Margaretæ, vt futuræ conjugi, hærere credebatur, Cum derepente Pedimantellus, ab Hiſpaniâ, Villefrancam advolat, tantâ feſtinatione, vt publicæ fidei Codicillos, queis tuto commearet, ne quidem expectaverit, Poſt ſecretos inter Lioneum & Pedimantellum congreſſus, Pedimantellus ad Mazzarinum admiſſus, mentem ſui Regis aperit, de Pace, ſicut Madriti Lioneus pepigerat, & vt de Matrimonio Primogenitæ Hiſpaniarum, cum Rege noſtro, decorè negotium inſinuaret, Lioneum jam hoc Ludovico Haroïo inieciſſe, prætexuit, etſi Lioneus, non ex mandato Regio ſed ex ſuâ ſententiâ, obiter rem tetigiſſet.

Anxio Mazzarino, ob Sabaudam, quæ cum abrupta Alpium, & iniqua viarum, cœlo non tractabili, ſuperaſſet, deriſa crederetur, Decretum, ambages totas, illi revelare. Sabaudus ſpretæ ſororis iniuriam malè premens, evaſerat ab aulâ, potiùs, quam diſceſſerat. Mater impotens, dolore percita,

ſtatim à filii exitu, ſummo manè Mazzarino adfuit. *Quid agam deluſa, petamne ſupplex connubia, quæ jam ſum aſpernata, Illecta fallacibus nuptijs?* Mazzarinus, pellaciâ, quâ valebat, ſuadet, *Nihil ſucceſſurum niſi è communi bono; Eo loco Res eſſe, Intrà Galliæ & Hiſpaniæ Reges, vt certis judicijs, de Pace & Affinitate, ſpes affulgeat, Tam æqua Eam eſſe mente, vt domeſticæ vtilitati, publicam anteponat, ſi quod ab Hiſpanis proponitur, irritum evadat, daturum ſe operam, vt itineris & ſuſcepti laboris, nunquam pœniteat*: quod Chirographo Regis, ſanciturum ſe promiſit. Chriſtierna, ſeu fidem dictis adhiberet, ſeu decipi decorum putaret, Rebus deſperatis, Mazzarini reſponſo acquievit, & cum Margaretâ pro Rege coniuge, eius Codicillum amplexâ, abiit, Codicilli hæc præciſa ſententia. *Evaneſcente Hiſpanico conjugio. Margaretam Sabaudiæ ducis ſororem, Regis Galliæ, Ludovici XIV. futuram conjugem*; Rex properè Lutetiam advolat, vbi Pedimantellus aliquamdiù latitans, cum Lioneo, de Pacis & Connubii pactionibus peregit. Noctu ſæpius Mazzarino

rino aderat, cui, cum in Condei causa nihil remitteret, Pedimantellus assensit. *Condeum in fortunas tantum restitutum iri, præfecturis, & magno Palatij Magisterio mulctatum. Cæterum Mazzarinum & Ludovicum Haroüm ad montes Pynereos, conventuros, & inde inter Ministros Rebus compositis, Duos Reges se mutuò invisuros, pactis firmandis & Matrimonio inter Galliarum Regem, & Mariam Teresiam Hispaniarum Primogenitam, ritè celebrando.*

Hæc omnia Pedimantellus per cursores, Madritum deferri, curavit; expectans à Rege suo, vt hæc omnia firma rataque haberet, Vt moris recepti.

Mazzarinus, nullum præter Lioneum tanti arcani conscientia illigavit, quod vt vulgi oculis submoveret, tales offutias obtendit, etiam exteris. *Iter Pedimantelli planè fortuitum, ex Insubria in Belgium tendentis, Cùm Aulam Lugduni forte offendisset, existimasse, Regis sui interesse, si avertendo Sabaudico Matrimonio, nuptijs Primogenitæ Hispaniarum, cum Pace publica, Gallos pelliceret. Tale*

Matrimonium hactenùs offerri, vt ſcrupulus Imperatori illud optanti, inijceretur, & Luſitanorum, Anglorumque animi, ſuſpicionibus implerentur, quibus inſcijs, hæc in Gallia agitari credebantur; Talium repertorum, nullum feracius ingenium Mazzarineo.

Menſe Iunio pacifici anni *1659*. Fauſtum iter exorſus eſt Mazzarinus, magnâ pompâ, Aulæ proceribus comitantibus non paucis; inter Blæſas & Ambaſiam apud Ecurium, in curſorem Pedimantelli Madrito remeantem, oppurnè incidit. Ille approbationem pactorum afferebat, in Concilio Hiſpanico, ægrè & tardè extortam, ob neglectas Condei dignitates & præfecturas. Hæſit Mazzarinus, & ferè remeavit, gnarus quid Haroïus Condeo erat pollicitus. Pedimantellus calidè hortatus eſt, vt pergeret cœptum iter. De ſucceſſu, non dubitandum; Id audacius Pedimantellus, quod ſciens Fuenſaldagnij mentis, cujus ſententia, in animo Hiſpaniarum Regis, præponderabat. Etſi hæc clàm, Tamen rumor percrebruit. *De Pace Conclamatum. Interim nos deluſos, ob bimeſtrem armo-*

rum remiſſionem, quam Hiſpani impetraverant, obtentu futuræ tractationis. Nihil aliud eos meditari, per illam vacationem, quam dolos, quibus Mazzarinus captus; Hæc & ſimilia, præſertim Lutetiæ, vulgari. Nihil tam capax, maligni ſermonis, quam Vrbs illa, ab omi ævo.

Haroïus interim ſplendido comitatu, apud Sanſebaſtianum appellit. Mazzarinus, in oppidum mari adſitum, die conſtituto, pervenit, etſi Podagrâ tentatus, (Divi Ioannis Lucij fanum vulgo vocant.) Haroïus Fontarabiæ ſubſtitit; Mazzarino, ſalutatione libatâ.

In medio, jacet Inſula, ab avibus Phaſianis, appellationem ſortita, Bidaſſoâ Fluvio circumfuſa, communis juris; Exigua circuitu, ſpatio terrarum anguſta, Rerum geſtarum magnitudine, ampliſſima Inſularum. Ibi Galli & Hiſpani, extemporales ædes extruxerant dividuas; Vt vitato de primatu, diſſidio, Miniſtri duo convenirent, vnoquoque ſtationem ſuam inſidente.

Tredecimo Auguſti anno 1659. Primus in

Insulam adventat Mazzarinus ; singulari cultûs magnificentiâ. Post quadrantis horæ spatium, Apparent Hispani ; splendor vndique emicat. Mazzarinus & Haroïus, nullâ loci prærogativâ ; hinc & illinc, abaco discriminante, se mutuò salutant, Hispanico Idiomate. Vtramque Gentem percellebat spectaculi novitas ; Res videbatur, nemini credita ; *Duos Maximorum Regum primarios assessores, nuper tam sæva invicem molitos, amplecti se inermes, atque pro vi armorum, & belli artibus, vnum habere humanitatis certamen. Collatis sermonibus, magnum vterque, virtutis suæ fructum perceperè, verum experti, Hostis de Hoste judicium.*

Aliqui dies transiere, Dum mandata perpenduntur, quæ Madriti, quæ Lutetiæ pacta recensentur, clarius explicantur, quædam etiam emendaturo igni traduntur. Hactenùs, Tot Pacis meditamenta irrita, cruda Rerum facie. Eventus omnes humani, in alta nocte, occulta sunt eorum semina. Sed cum fata volunt, Cuncta juvant, & concurrunt certatim. *Cromvvelij*, *Mors*,

quo vivo, nulla spes quietis. Nihil à Galliæ Rege Lusitano promissum, ideoque nulla inde Remora. Minus ab Hollandis, per se pactis. Lotharingiæ Res, Nullum negotium facessere. Apud Hispanos lentum hactenus Pacis opus, promovebatur, per Reginæ partum Imperij capacem, novo Puero edito. Vindicta, quæ in Lusitanos parabatur, quæ nec durante bello, poterat impleri, Regis Hispaniarum. Invaletudo. Sed quod Caput, Mazzarini ac Fuensaldagnij concordes animi; Erant illi Cardines duo, circa quos; Tota machina voluebatur. Solum Condei negotium, penè telam feliciter exorsam, abrupit; Fuensaldagnius, non ægrè deseruisset Principem, sibi exosum. Haroïus contrà nitebatur, Publicæ fidei & privatæ suæ consulens. Mazzarinus palàm profitetur consultius sibi videri, abitu omnia destruere, quàm tali concessione dehonestare Galliæ Regem. (Illa concessio erat, de Condei præfecturis & muneribus,) *Iam nimium Paci Condonatum* (ajebat Mazzarinus) & Hispanici consilij præfractam duritiem, accusans, *Fatidicus non sum, sed aut vehementer animi fallor, aut jam diem prævideo, cum tam*

contumaciter requisita, negligetis. Interim vos; spretæ Pacis reos, ob Condei Rationes, peraget, qui fundetur in posterum sanguis. Hæc eo vultu Cardinalis, in quo desperatæ Pacis dolor deprehendebatur.

Tandem Haroïus cum videret, pacem filo, eoque tenui, appendi, & nescium flecti Mazzarinum; *Suum Regem*, dixit, *potius largiturum, Condeo ex suo quidlibet, quam benè meritum Principem, contra fidem deserturum.* Eccidit sermo Haroïo, de tribus vrbibus Condeo dandis; Mazzarinus non segnis, arripuit verba elapsa, quæ tandem clarius explicata, Marianburgum, Philippolim & Avenas indicarunt, in Belgij & Campaniæ finibus, situ & opere munitis. Ac, quoniam nihil poterat Condeo concedi, ab Hispano, nisi Rege Galliæ approbante, opportuit, munimenta designari, & de ijs convenire.

Sic consumptis duodecim diebus, in solo Condei negotio, Mazzarinus ita animo reputavit. *Principi fidem sinceram, & obsequia debita; Regi præstanti, intra annum, Burgundiæ*

præfecturam, cum Palatij magno Magisterio, non posse negari. Satius igitur postulatis Hispanorum, hac in parte indulgere, dummodò tria illa munimenta, Galliæ adjungerentur, quam assensum præbere, vt illis Condeus per liberalitatem Hispanicam, potiretur.

Ex mandatis præcisis, sui Regis, Haroïus, *Decus & famam, servati Condei, pratulit Vrbibus, quæ Gallis concessæ, pro Principis præfecturis, & munere Magisterij.* Hæc vultu, non animo æger excepit Mazzarinus, lucro apponens, hanc accessionem, soli suæ operæ, debitam, cui & adjungi voluit, Conflandtium in Catalauniæ finibus, & Neoburgicum ducem, Iuliaco suo restitutum; Quod consequutus est.

Vt primùm Pacificationis indubitatæ, Spes certa affulsit, Gramontius Galliæ Polemarchus, Madritum delegatur, *Hispaniæ* primogenitam, Mariam Teresiam, vt pactum fuerat, in coniugem, Regi Gallo rogaturus; Quam decorè functus sit Legatione, publicæ narrationes abundè docent. Nec mirum, cum præter, stirpem in-

clytam, & partum per bella decus, Concinnitas, & gloria illi adnata ſint. Ad declinandam longioris Pompæ moleſtiam, Curſoriis equis, vectus eſt, miſsô in Compendium Itinere, Et oſtentui Iuvenilis Regis ardoris. Redijt Gramontius, Coniugii certus, exceptus magnificentiâ & gaudii prolixitate. Inter Mazzarinum & Haroïum, tractatione vacillante, de revocando Gramontio, non ſemel cogitatum. In prærupto poſitum Negotium, Miniſtrorum prudentiâ, dicam indulgentiâ Fatorum, Reſtitutum eſt. Sacrorum ritus, initio religiosè culti, numquam, obliterati.

Principes Europæ, aut eorum Delegati; tanquam rogaturi ſortes, accurrere, ſuſpicere Inſulam, id eſt aream parvam, ex quâ Totus Orbis ſuſpenſus, penderet; Crederes ancoram fluctuanti mundo.

Lotharingiæ Dux, olim ab *Hiſpanis* Toleti detentus, in libero carcere, tunc laxatur; & inſalutato illo Rege, accurrit ad *Haroïum*; noſciturus impoſitas leges. Vbi Res ſuas cœpit, agnoſcere Tantæ mulctæ intolerans,

in

in ſermones prorupit, qui iure poterant in cuſtodiam rurſus compingere, feſſum miſeriarum ducem. *Non eſt Pax*, inquit, *ſed pactio ſervitutis*. Summa Haroii bonitas, indoluit Lotharingi malis; Qui relicto Fontarabiæ, Miniſtro Ibero; Ad Gallum confugit. Excipit eum Mazzarinus decorè. Varia vltrò citròque agitata, Etiam, de ſanguinis coniunctione; Dux Carolus viſus diſcedere, animo minus ægro. Quid deinde factum, ad finem libri clarius explicabitur.

Adventat Carolus Angliæ Rex, ex Belgio, (nam Lutetiæ eum vivere non paſſus erat, Cromwelius vivus, nec Mortui Vmbra tolerabat) Haroïus nihil ſplendoris, nihil ſubmiſſi obſequij, erga Hoſpitem omiſit, ſed neque Condeanas Cohortes, quas petebat, indulſit, Luſitanicum bellum prætexens, nec vllo alio nexu ad Res novas cum Anglo, jungi voluit; Mazzarinus ne alloquio quidem, aut viſione, Regem dignatus eſt, metu Locardi, qui Parlamenti Anglicani nomine aderat inſpector. Res poſteris vix fidem habitura. Mazzarinus Cromwelium exc-

ſum ſemper habuit, & Rempublicam ſurgentem, Tantus tamen Tyrannionis, in Cardinalis animo, hæſit reſpectus, vt ejus etiam extincti manes formidarit, & quem vivum ſimulato honore coluerat, mortuum, falsâ reverentiâ, proſequutus ſit; Adeò verum, nonnulla ingenia inferiora, etiam validioribus, naturali prædominio, terrorem incutere. Angliæ Rex operâ perditâ, ſe ludibrio ſubduxit, ab Hiſpano blanditias, à Gallo contemptum reportans. Hormondius, qui Regi comes, vix Mazzarinum alloquutus, & quaſi dato caſu, invidiæ ſcilicet Locardi declinandæ; Multa injecit, captando Cardinali, Spes certas ſceptri, cui Carolus immineret, Molimina in ejus gratiam; omnia in Tuto; opus eſſe ſuppetiatione exiguâ. Eò vſque progreſſus, vt promiſſa affinitate Regiâ, animum Mazzarini pertentarit, Tantum poteſt Neceſſitas, quam nec dij quidem ſuperant. Hæc omnia fruſtrà; Reſtitutio Virtuti & fatis tanti Regis debebatur, Qui abit, pertæſus Gallicæ duritiei.

Per tot obſequia fortunæ, Miniſtri duo

Iudices mundi dissidentis, Cuncta pro nutu arbitrari, & temperare Gentes obnoxias. De Lusitaniâ agebatur, cùm Mazzarinus obversus ad Haroïum. *Quære*, inquit, *ad vltimos Indos, suppremam aliquam ditionem, pro misero Bragantio, Ne caput diademati assuetum, privatâ conditione, resordescat.*

Res Italiæ, Mantuæ & Sabaudiæ, ac aliorum Principum, Cardinalis, ac Fuensaldagnij Sententiæ relictæ sunt.

Alexander Pontifex, solus nec Pars, nec Momentum fuit pacificationis. Mirabantur Romæ purpurei Patres, quem elegerant Chigium, Eo præsertim nomine, quod Pacis meditamentis innutritus, aptus videretur ejus Conciliator; Ita contemptim præteriri. Mazzarinus, A Chigio, propagator dissidij, osor Pacis insimulatus, ostendit; *Pacem se voluisse, & potuisse sancire. Sed tempora Rebus aptanda. Arcana Regnorum non vulganda, Bene rationem constare, quando vni redditur. Nulli Regi jus in Sacra, inspectionem solùm; Nulli Pontifici jus in Reges, sed paternum amorem esse debere.*

Viginti quatuor Sessionibus, Peractum est Negotium Pacis, & tandem, septimo die Novemb. 1659. Pacta à duobus Ministris, subsignata sunt, quæ typis mandata, & Rerum exitus; qualia fuerint, abundè demonstrant.

Vidisses vtriusque Gentis, arctissimos amplexus, ac signa Caritatis, Ex odio vetusto, Post tot Incursiones, vtrimque factas, Villarum incendia, Tot captivos abactos, Tot domitas & dirutas vrbes, Tantum sanguinis fusum; Nihil iræ residuum. In summo publico gaudio, multitudo Gentium, suâ quæque linguâ, & more gaudere; Præterita bella, pro commentis habere. Galliæ & Hispaniæ Vrbes, splendore & decore lucere. Ita vt miseratione planè digni viderentur, qui alterutri Imperio, non subiacerent. Duo Ministri, Post mutua dona, hinc Aulæorum; Illinc Equorum; Discedunt Insulâ, Numine dei Electâ, quæ cœlum clarius faceret, & tam discordes animos & insociabiles, commercio contraheret.

LIBRI DECIMI FINIS.

BENIAMINI PRIOLI
DE REBVS GALLICIS, HISTORIARVM
LIBER VNDECIMVS.

Breviarium libri antecedentis potest esse argumentum hujus Vndecimi, qui nihil continet nisi læta omnia, si Mazzarini mortem excipias, constantem, fortem, & vitæ consentaneam.

TOLOSÆ Cardinalis sancitæ Pacis Regi & Reginæ lætantibus, rationem reddidit, Hinc in Provinciam, donec Hispaniarum Rex cum filia adventaret, Aulâ divertit, sedando Massiliensium

tumultui, qui ob consulatus iura, exarserat. Rex quò domesticæ quieti famæque, rectiùs consuleret, arcem necessariam vrbi imposvit, æquali omnium libertati decoram, & præcipuam securitatem, quorum cognita fides; Ingens sine odio, & sumptu præsidium; Cui impositus Beringamius, quo nullus magis in Gallia sapientiæ imagini paruit, inoffenso prudentiæ tenore duos Reges emensus.

Lutetiæ, vbi omnia damnantur; Non matrimonio; vix Paci fides habita, subesse dolos Ibericos, Mazzarinum deceptum, non plebe quidem per fora, & circulos, sed plerique ex primoribus mussitabant.

Tot bellorum superstes Condeus, de summa rerum certior factus, vt cuique ætas aut dignitas fuerat in castris, comiter appellatos, in hunc ferè modum allocutus est. *Septimus annus agitur, commilitones, ex quo fatis iniquis agitatus, post vltima sævitiæ exempla; Carceris tenebris liberatus regnis avitis excessi, salutem meam armis tueri coactus; Toto illo tempore mea fata & fortuna domus in manu vestra posita fuêre. Nunc neque vt affectus vestros in,*

amorem mei vlteriùs accenderem, neque vt animum ad nova virtutis documenta cohortarer, (vtraque enim egregie superſunt, ſed huc venio à vobis poſtulaturus temperamentum veſtræ fortitudinis & erga me modum caritatis, ſcilicet vt tandem partæ humano generi quieti, acquieſcatis; Neque veſtras aliorumque fortunas, ſpe & metu verſemus irrequieti; Quandoquidem vrgentibus Galliæ fatis, nihil præſtare majus poſſumus. Pax gentium & mea ſalus cum veſtra & Belgij incolumitate firmata eſt; Tutò in Gallia, & decora gentis meæ, & poſſeſſos honoros, & relicta à Sancto parente bona poſſideo; Denique res meæ eo loco ſunt, vt neque ſolatio neque vltione opus habeam. Ego & fortuna experti invicem ſumus. Certatum diù eſt, ne plus certemus per me exemplum erit. Alij civilibus bellis diutius impliciti; Nemo tam fortiter finivit. An ego tot egregios exercitus, tot duces patiar ſterni rurſus & hanc virtutem veſtram vltro periculis obijciam? Eat hic auimus tanquam perituri pro me fueritis, ſed eſte ſuperſtites; Quanto plus ſpei oſtenditis, ſi bellare placeret, pulchrior pax erit, ſed cum tot laceros artus, tot vulnera cerno, illud eſt quod

mentem distrahit, quò exanguis senectus se conferet? Quæ sedes futura emeritis? Quæ præmia infructuosæ militiæ. Quando vestris in me meritis, in præsentias gratias referre prohibeor, quod unum habeo, hoc rerum cardine, gratitudinem æternam & imaginem vitæ meæ vobis relinquo; Tempus erit cum forsan domus mea sufficiet donativo. Hæc interim accipite, parva quidem monimenta, sed quæ perpetuum nostri amorem testentur. Inde viritim sparsum quod supererat pecuniæ. Postquam cætus secum diù incerta, fremuit, Marcinus Eburo, nomine cohortium, nullo orationis lenocinio, militariter ita locutus est.

Gallici nominis maximè Rector, invictissimè Princeps, parendo potiùs quam imperia Ducum sciscitando, res militares continentur. Nobis arma & animus, tibi consilium, & virtutis nostræ regimen relinquimus. Non nostrum est inquirere causas Pacis, neque scrutari penitus Reges. Fides famaque illæsa ad hunc diem nostra erga te permansit. Discrimina & incerta præliorum ex æquo partiti sumus. Tu viam periculorum calcasti semper primus, nos signa tua secuti, dedicimus toties à te scire mori. Ad nos

ſcelerum exitus, ad te bellorum gloria pertinet. Blanda & clemens fuit apud te noſtra ſervitus, commodaſti veniam erroribus, ignoviſti lapſis, nec vnquam ſupplicia noſtra aut contumelias diſciplinam vocaſti, ne cura præmia noſtra, nec quò ituri ſumus; fata viam invenient; Grande habemus, gloriæ monimentum, quod de nemine queri potes. Abi Sanctus & miſericors fortis & invictus; votorum & affectus aura te æternùm proſequimur. Dij immortales hoc tibi concedant, ne noſtri cogaris vnquam meminiſſe; Hæc Marcinus palàm, de ſe ſeorſum hæc pauca. *Scis quanto pignore te emi, quære nomen facinori, conſule famam generis humani, ſi ſcelus eſt, tibi præſtiti.*

Ore placidus Princeps, his attentas aures præbuit, juvenes auctoritate, ſenes precibus monendo; Poſtera die Belgij proceribus advocatis cauſas Pacis & modum aperuit, de ſe pauca & ſuſpensè, publica fusè explicuit. Certatum per vrbes muneribus, laudibus, applauſu. Ille reſpuere cuncta, agi tamen ſibi gratias paſſus eſt, ſed nec inani jactatione famam provocabat, expectans potius donec impetus favoris langueſceret,

nullo verborum honore cumulata dimiſſio. Tradidit interea Caraceno Provincias quietas tutaſque; Ac ne notabilis celebritate & frequentia occurrentium introitus magnarum vrbium eſſet, tum apud Belgas, tum in Gallia maximè, illis vitatis, & amicorum officijs, parvo comitatu incedebat, cultu modicus, ſermone facilis. Anguiennenſium Dux à patris latere nunquam diſcedebat, non externo monitore opus habens; Per Verbinum & Sueſſiones, inde Colomarium quod Briæ oppidum eſt, Longavillani affinis prætorio famoſum, pervenit, per acuta frigora & abrupta viarum; Illic aliquandiu ſubſtitit, Sarcinis reficiendis, & valetudini recreandæ, nulli niſi vocati, admiſſi ſunt, comitatus vxore & nato cum nata vnica vix trienni, familiæ tantum parte, lacera, ſqualida, Belgicos mores, exilium, & bella horrida redolente. Viſum eſt opportunum præïre Longavillanum acceſſui ad Regem molliendo. Princeps relicta vxore & Anguiano ſecutus, non lento itinere, ne contari videretur, neque tamen properans ſed ſinens ſpa-

tio gliſcere famam ſui. Vertit iter ad Chatilioniam, à qua juvenilis animus nunquam abhorruit, ob cognatum Sanguinem, & formam, amore geminato, ſed gerendis rebus nullum ex eo impedimentum Tandem aquas Sextias, quæ Provinciæ caput eſt, adventat, id pactum fuerat ad venerationem & cultum Regis; Certatim illi obviam itur, inter cæteros Contius frater, qui relictis ſacris quibus ſe addixerat, in Matrimonium accepta Mazzarini nepte, fraternas acies & partes jam diù deſeruerat. Blandè Condeus eum excipit. Mazzarino adventu tanti ſupplicis motæ curæ, fronte tamen exporrecta, quod illi inſolitum, expectat, Ad quartum lapidem mittere Rhedas, equos, & ſatellitium ſpecie honoris. Princeps in editiore ſcalæ parte à Mazzarino excipitur, arcti complexus, verba nulli audita; Sermones vltro citròque varij, remotis arbitris, Longavillano & ipſo Contio, & ſi fraterna imagine refulgente, ſervientium turbæ immixtis. Mazzarinus ſolus in ſtationem Regiam tranſire, quo quadrantis horæ ſpa-

tio vocatus Condeus Regis pedibus advolvitur, statim allevatus; Vt in re tali fieri amat, prima vox maximè expectabatur, sed pro ea murmur blandum, vt conciliatos animos facilè crederes. Hinc Regina & Andegavensi salutatis, ex suo exercitu lecta decora Boutevilleum & Marcinum ac cæteros obtulit, non dissimulatis cujusque virtutibus. Marcinus Condeana cicatrice plusquam alius stigmosus, non minus anxius benignitate Regis, quam facinoris memoria, & publicis in se odijs, quorum causæ eò acriores, quia justæ, jactis in terram oculis solo Condei intuitu semet absolvebat.

In Condeo nihil demissum, nihil tumidum aut in rebus novis novum, mens ab exilio & à reatu ad Majestatem, repente transierat, læta omnia & affluentia excepit concurrentes & in adulationem effusos allocutus, ex temporali facundia decorus; Quidquid diceret aut ageret, etsi sine arte, ad stantium aures & oculos iuvabat. Cæterùm, vt militare nomen grave apud aulicos otiosos, quò alijs virtutibus temperaret, tranquillitatem

quillitatem atque otium palàm professus est. Vidisses subitâ luce vultus illustres, tam brevi discussa tot præteritorum caligine; Tantùm potuit ille Sanguinis, ille gestorum splendor, & quod superest, nihil arduum Condei fatis. Sic absumptis octo circiter diebus redux idem iter remetitur, audita in via morte Aurelianensium Ducis, de quo posteà dicturus sum. Qui in opere, in agmine gregario militi nuper in Belgio mixtus, incorrupto ducis honore, Lutetiæ comitate & alloquijs provocat officia magnatum. Certantibus studijs augebat famam ipsius Condei ingenium; Quantæcumque fortunæ capax, decor oris, cum quadam Majestate, prosperæ res, inclinatis in eum animis, & loco omnium ejus fortuna; Evasisse tot imminentia, redditum penatibus, mactum gloriâ; Cernere erat ædes Principis à prima luce, in multam noctem vndare populis, intrare curiosos, beatos remeare, non satiari vultu, admirari eamdem virtutem, quam nuper oderant, gravibus curis frenati iuveniles animi & relaxati olim, mutati in

melius mores; Ac quamquam medio in spatio integræ ætatis ad gloriam longissimum ævum peregisse narrabatur.

Hæc in Aulâ audita, majora etiam vero credebantur, damnata popularitas, improbatum quod infulatos præsides vltra decorum excepisset, quod lugubrem pannum ob mortem Aurelianensis, Rhedæ parti superiori clavis affixisset; Inolevit mos pro lege habitus, ne quis præter Regibus genitos hoc sibi arroget; Qui toties clavum fortunæ fixerat, non audet clavum rhedæ affigere; Queritur Princeps novæ Aulæ mala, æquè gravia, non æquè damnata; Modestè tamen, vt apud dominantes, gratias egit, monitori Mazzarino; Quò hæc & similia in præsentias vitaret, decretum, relictâ ad tempus Vrbe, in Burgundiam secedere, (Obtentui fuit regimen illius Provinciæ, quod illi redonatum,) Nec vlterius pandere sinum famæ nociturae, ex segnitie remedium malorum quæsiturus; Secum deducit Anguianum alumnum jam ostensum fatis, populis etiam monstraturus. Non alienum fuerit

obſervare Lotharingos & Guiſianos, per Miniſtros, cultum Principi exhibuiſſe, ne ſecundi & lævi in eius ædibus incederent; Vſurpatum hoc ab eo querebantur, patri neglectum, aut remiſſum.

Aurelianenſium Dux Henrico quarto & Maria Medicea genitus Ludovici decimi tertii vnicus frater; Civilibus armis depoſitis oborta animo tædia, ob improſpera rerum Bleſenci ſeceſſu diluere. Nulli ſervientium ſe amplius addicere. Vxorem ſolam Margaretam Lotharingam in partem curarum aſciſcere, Illi ſoli arcana credere, & naſcentes cogitationes. Antiquariæ & Herbariæ rei ſtudium, acrius quam Principi tanto conceſſum, arripere. Gaudere canibus & venatu ac ſecreto ſylvarum, non capiendis ſed ſervandis feris. Totam vrbem Bleſenſem religionibus imbuere; Miſſarum nullus finis. Palàm ſe profiteri devotum, (vt in re novâ novo vocabulo vtar) Cum deus mente ſolâ ſit adorandus, non oſtentu illo perſequendus. Qui tales evadunt, intemperie pietatis, quem colunt violant, amandum timent. Re-

ligio cum modo habenda, vt omnia bona, quæ talia eſſe deſinunt, ſi ille abſit. Inter hæc & ſimilia morbo correptus, miniſtrato imperitè antimonio, intra ſeptem dies, vrgente lethargo, vita conceſſit, Præclara pueritiâ, lætam voluptatibus iuventutem egit, ſervientium imperio ſemper obnoxius, nunquam ſuæ ſpontis.

Margarita Lotharinga paucos dies componendo animo inſumit, violenta luctu & neſcia tolerandi, tribus cum natis ſequioris ſexus, ferali vrna præcedente, Lutetiam advehitur. Exuviæ Gaſtonis apud Sanctum Dionyſium tumulis avorum inferuntur, vulgari pompa, modicis ſumptibus; Vix Libitinæ ſatisfactum.

Reges ex pacto conveniunt, Gallus apud fanum Divi Ioannis Lucii, Hiſpanus cum Natâ Fontarabiæ ſe ſiſtit. Eò ad nuptias perfunctorias celebrandas delegatur Epiſcopus Forojulienſis Ondedeus, qui inſitâ gravitate peregit impoſitum munus. Illuxit tandem dies, quo bello, quo connubio impoſitus finis; Inſula tantarum rerum conſcia, nunc

ſpectatrix, admittit Maieſtates, ac vtriuſque Regni nomina illuſtria, Gallus annis florentibus, Hiſpanus declivioribus; Hîc trunco, Ille frondibus vmbram efficiens. Maria Terezia individua patri, optat & timet impendentium exitum.

Duobus Regibus ſalutatione mutuâ perfunctis; Quid dicerent, vacavit cogitare, tam alto ſilentio, aliquamdiù omnia repleta; Miratur Rex ſenex, in Genero cum tantâ ſpecie fortitudinem convenire. Ludovicus & Maria, hæſere, mutuâ contemplatione perculſi, tum, id quiſque miratus, quod viciſſim mirantem rapiebat; Pares anni, & in diverſis frontibus eâdem majeſtas; Abaculis, vtrimque impoſita Evangelia, cum imagine Chriſti in cruce pendentis, In ea, genibus flexis, iuravere Reges, ſe ſancte obſervaturos pacta ſancitæ Pacis, quæ Magiſtri Epiſtolarum; Illinc Fonſeca Contrera Hiſpanicâ linguâ; Hinc Gallicâ Ludovicus H. Lomenius Briennæ Comes, eodem momento recitarunt; Vltimus huiusfuit publicus actus, qui abdicato munere, à Patre, ab Avo, tam

inculpatè, tam decorè ſuſtentato, Deo, ſe addixit, claro exemplo, flore juventæ, & per maternam ſtirpem ab Imperatoria domo.

Rex Gallus Hiſpanorum, Hiſpanus Gallorum obſequia admiſerunt, neuter affatus eſt ſalutantes, Mazzarinus Gallos, Philippo; Haroïus Hiſpanos, Ludovico admovebat, ad ſolius Turenii nomen rupit Hiſpanus ſilentium; *Illius*, inquit, *memini & debeo meminiſſe*; Hora appetebat ſolvendi Cœtus, cum Philippus moras nectens, tandem breve oſculum natæ libavit, Et vltimum vale dixit, Reginam matrem, vt nos vocamus, in fratris amplexus penè ruentem, pro gravitate Hiſpanicâ, non admiſit. Sic formula Pacis inita eſt.

Relictâ Inſulâ, cujus nullam poſteritatem pigebit, ſic abſtracti, nunquam redituri ad conſpectum. Apud fanum Divi Ioannis Lucij, poſterâ die, ſplendore inſolito, juſtæ nuptiæ celebratæ ſunt. Nullâ morâ, littus ſterile, & in hoſpita loca deſeruntur: Avidè Lutetiam omnes anhelant.

Fontibellaquei visum aliquamdiù quiescere: Sic Parisiensibus adornandæ pompæ concesso intervallo. Toto itinere Mazzarinus, solito morosior, nullo ludicro, ne aleâ quidem secundâ recreatus, Regi non semel aperuit supremam necessitatem sibi imminere: Non temperavit Rex à lacrymis. Interim protrahebat ingressum invaletudo Cardinalis; quo tandem minùs ægro; omnibus præparatis, Rex cum Reginâ conjuge, Vrbem intrare maturabat.

Proximus Triumpho introitus fuit. Effictò arte Tabulato in suburbio Divi Antonii, vtramque Majestatem gratulatione morati sunt distincti. Ordines qui obviam processère, Primi locum occupavère Ministri Numinis, (vltimi in honorem debuerant esse,) Signa secum, & inculti operis veteres Divos præferentes. Succedebat Artificum collegia, Magistratus; Hinc Senatus sequebatur, cum infulis dignitatis. Pòst Cancellarius, aureo cultu rigidus, supplicum Libellorum Magistris stipantibus sigillum Regium, phalerato equo impositum. Milites, & qui pompam pro-

curabant; vestibus splendidi; versicoloribus pennis capita omnes incinxerant. Antecedebant cum signis Duces. Omne genus divitiarum ostentatur, & Civitatis ornamenta citantur ad publicum gaudium. Currus omnibus Majestatis insignibus spectabilis Reginæ admotus est; Sola in eum collocatur. Rex vehi non voluit: in equo sublimi provectus præcedebat; Conspicui Principes proximè sequebantur. Vrbs alacris circumfusa, Reginam oculis figebat; gnara, ejus currui inesse summam victoriarum, Vario cantu ad spectaculum invocabatur lætitia, Passim chori eorum qui Musicam excolebant, voce, plectro, fidibus, lætum Pæana canentes. Conjuges inter hanc pompam ad portam vrbis pervenêre. In limine, sublimis statutâ Pacis imago, cujus dextræ inserti varij versus. A Portâ processerunt per primarias regiones, Luparam vsque, ipsâ lætitiâ fessi.

Tam celebri pompâ perfuncto Mazzarino, propositum, levare populos tributis, socios tueri, Mari & Mercaturæ gloriam addere; moribus Gallicam gentem ornare, le-

gibus

gibus emendare; Vrbem ædificiorum ſplendore extollere, Luparæo Palatio, clariſſimo hujus ævi monumento, coronidem imponere; cui ignis forte admotus omen & initium impendentium fuit. Non duravit in beatiſſimâ ſeculi luce, hæc conſilia atrociori fortunâ prævertente: Vix à Regis ingreſſu ſex menſes effluxerant, cùm omnibus ſummi doloris indicijs funeſtus, vltimi fati præſagia dedit. Nuſquam ſegnis, niſi in mali curatione. Iecur & pulmones affecti intemperie, imbecillis membris, neſcio quid, doctæ arti impervium refundebant; etſi, mirabile dictu, vix in febrim corruptus eſt. Poſtquàm liquidiùs reſcitum, nullam ſpem in Medicis reſtare, quorum peritiores periculosè decernebant; Vincennas conceſſit moriturus; Quaſi minore invidiâ extra, quam intra vrbem Fortuna peccaret. Vetuit Rex quieti relictum, vllo negotio ſollicitari. Semper inviolata, nec vnquam icta Virtus ſtetit. Alienato à ſenſu malorum animo, oſtendit clarè, quàm vile corpus ſit iis, qui magnam gloriam vident.

De nullâ re magis sollicitus, quàm de gloriâ Regni, cui nascenti & surgenti adfuisse dicas. Multa Regi de multiplici arte regnandi ingessisse fertur, qui ad spondam ægri, vt plurimùm assidebat. Silverunt diù tristi aspectu, repressis lacrymis, neutro acerbum sermonem incipiente. Rex humanissimè merita commendans, imputavit illi armorum momenta; *Victoriæ nostræ*, inquit, *operis tui sunt. Tu aleam belli, tu casus, tu labores lenivisti: tu sceptrum asseruisti. Tandem Victima cadis, post propitiatos mihi tot successus. Ego cùm vtar restitutis à te rebus, sæpiùs meminero, hæc à te accepta, quàm cogitasti vnquam te dedisse. Fruar bonis consilio tuo partis, & ex vsu intelligam, quantum mihi præstiteris.* Hærebant circumfusi Optimates, & diversissimas mentes sub vno silentio componebant; paratos affectus, quàcunque Regis & Mazzarini colloquia jussissent, impensuri. Mazzarinus, quanquam ratus verè hæc dici; quæ suam modestiam decebant; Respondit; *Causæ ac felicitati Regis omnia deberi: Se quoque grande nimis beneficium accepisse, cui sanctissimis armis &*

consilijs misceri licuerit. Pòst sapienter Regem admonuit, *Vt ipse publicæ rei curas susciperet, nec inconsultis amicitijs publicam invidiam concitaret: Eumdem Genium, Divosque eosdem in Consilio habiturum ad regendas victorias, quas ad comparandas habuisset.* Multa insuper arcana Regi injecit, oculos illi restituens Sic inter se colloquentibus exitialia momenta, non semel supervenêre. Omni spe damnatâ, Rex discessit, ne vox suspirijs enervis abiret à Majestate: ad cogitationes quid deinde futurum esset, dolore converso. Inter omnes ægritudinis summæ notas, gemitum tamen quæstumve nulli dolores expresserunt: Eadem oris constantia quæ valenti adfuerat, abeuntem comitabatur. Non aliter, quam si ad iter se accingeret, cartas in statione recomponens, capsulas suis clavibus muniens, etiam facetijs condire sermones. Interim Testamenti tabulas signavit. De summâ mens immota: circa varia varius. Hæredem ex asse Regem scribens, multos in imâ cerâ; Hinc Portanum Meillieriaci filium vnicum, in sanguinis jura adoptione promovit, revocato

obſoleto more, deſponſatâ illi nepte, imponens nomen & ſua inſignia viro, non infrà juſtorum liberorum caritatem, ob merita accepto. Nepotem Mancinum præfecturis, dominijs, & opibus auxit; cohæredes ex-æquo & bono. Ex familiaribus & domeſticis nullus ferè indonatus. Largitus etiam quædam in eruditorum familiam. Collegium inſtituit erudiendæ Iuventuti, ex partis Provincijs, & ditione auctâ, hoc titulo decorandum; *Promoti Imperij monumentum.* Enixè Regem rogavit; *firma rataque faceret, quæcunque ſtatuiſſet, cùm ſupremis conſuleret, ab æquitate ſperare ſe præſidium, & ipſi æquitati, à Rege.* Fidem illi Rex obligavit: *Exige*, inquit, *à nobis quidquid voles; meritis tuis minus erit*; Opes reliquit ſpecioſas, potuit immenſas, patente Ærario: quod non malis artibus, ſedaccurato Regimini tribuendum. Hîc in primis Ioannem Baptiſtam Colbertum deſtinatâ mentione commendavit, in quo, Cum plurima, ſe amaſſe profeſſus eſt, præcipuè fidem & curas, ac, cum limatiſſimo judicio, pleriſque mortalium ignotam ſinceritatem. Quem nemo,

& qui neminem vnquam falleret. Vt illi copia ingens gemmarum, distribuit in varios. Condeum in primis, per præteritorum oblivionem, lapide adamante donavit non vulgaris pretij: Regi octodecim extra omne pretium, legavit; Mazzarinos denominatos, propagando nomini, & famæ ad posteros. conspicuæ opes nullâ rerum mutatione in designatos hæredes transierunt. Consuetudine dolendi ita assueverat malis, vt jamjam morituri cerneretur læta species. Omnis sanguis in venis extra temperiem, cum ipsâ fæce occupatis pulmonibus, spirandi libertatem eripiebat. Ossium compagem, & ventrem ab hydrope tumentem ostentans, docebat, quàm fragilè esset, quod in rebus humanis maximum habetur; Vbi debile corpus vi morbi cedere cogeretur; Adversùs fatalem necessitatem nullâ valente Medicinâ, cùm mors certa sui signa dedisset, subduxit se statio medicorum: Negant enim fas esse, vt qui vitæ debent opitulari, mortis sint spectatores. Inter illos nihil convenerat de morbi genere, de quo, toto tem-

pore, quo ægrotum tractarunt, acerrimè disceptatum: Quibusdam eorum, vitæ desperationem nequitiâ dissimulantibus, aliis ignorantiâ. Aliquando decem, aliquando duodecim; Cùm paucissimi, sex, satis ad occidendum vel valentem, adfuerunt. Firmo atque invicto animo, quod vitæ sibi restare intelligebat, ad mortis meditamenta retulit: & tandem idibus Martiis, quem mensem fatalem Vates prædixerant; Vincennis mortalitatem explevit. Eodem die Iulius ille alter Romæ exspiravit. Doluerunt non pauci, vt Regi placerent; cæteri effusi, mœrendi licentiam amavêre; Animi dolorem non fraudavit Rex. Atrata Aula, & quantum venustiorum hominum pullatum visum est.

Is finis fuit potentissimi, quotquot fuerunt gratiosorum, annum agentis ætatis quinquagesimum nonum, potentiæ duodevigesimum. In Galliâ toto illo tempore, salvâ Maiestate, regnavit, omnia nutu versans, cæterâ servientium turbâ. Religionis, quæ quidem in externis actibus versatur, servans fuit: Supremis quippe appropin-

quans, ex more Christianorum, ritè viaticatus est, interque solennes Divorum laudes oleo perunctus; Etiam monuit, vt Sacerdotes geminarent preces: sedulitate eximiâ in Templis omnia peracta, Deo super altaria conspicuo; supplicationes ad omnia pulvinaria admotæ sunt. Sedis Romanæ venerabundus, immanè quantum; Sive spe Tiaræ, in quam improbus à Pace perpetratâ; Sive insito cultu à naturâ, aut arte: Vt vt sit, in extremis anxiè id deposcentem, Nuncius Pontificius, benedictione lustravit, & numen placavit.

Vir non vulgari fuit specie: decentior quâm sublimior corporis habitus; frons celsior: mitem libenter putares, Accessu ad primas januas tetrico, per morosas angustias ambitiosi liminis feliciter evadentibus, comis. Vultûs, sermonisque adeò potens, vt cùm maximè abderet sensus, apertissimus videretur: tam callidè verba temperans, vt facilè crederes, eum factis plura reservare. Fidus veniæ, mirantibus cunctis, hostes modò, rursùs lateri proximos, curisque & remissio-

nibus individuos: parata dedentibus ſe clementia, nulla pœna contumacibus. Solertiam innatam perfecit diligentia, cùm parcus otij ſomnique majora ipſe, non per adminiſtros, tractaret. Pecuniæ vſuum gnarus, publicæ parcus, ſuæ avarus creditus eſt. Cæterùm rei domeſticæ ac ſupellectilis ſplendore, famulorum & aſſeclarum multitudine ſupra magnos Principes: Nulla ſedes eorum magnificentior Mazzarini domo; quaſi Galliæ opes & Potentiam advenis ſolus oſtentaret. Nec hoc apud Regem invidioſum, à quo omnem ſuperbiæ ſuſpicionem arte & obſequio redimebat. Arcana Regnorum & privatorum ſcrutabatur. Ad Gallicos animos ludificandos, haud ſcio an vllus mortalium fuerit inſtructior. Officiorum artibus ſpes ſuſtentabat, nobilitatem oblatis titulis amplificabat: Sic in ſpeciem ſe componens, vt vbique extra ſenſum injuriæ videretur; Sui autem ita obtegens, etiam iis qui conſcii eius mentis credebantur, vt inacceſſus prorsùs eſſet. Nihil iactare vnquam per vaniloquium. Adversùs proſpera & adverſa vultu, non

non animo, æquabili: Ac magnus licèt is habitus fuerit, dum ſtaret; in caſu, dejectuſque major apparuit. Certè virtute promeruit, vt ei calamitas in gloriam poſtremò verteret. Conditus in diſſimulationem, ſuſpicionibus & obtrectatoribus credulitatem indulgebat. Promiſſis largus, quibus multoties non ſtetit; aut ſi implevit, faſtidio & morâ diù libratum beneficium, improbè extortum elumbavit, longo voto conſumens gaudia. Virtutem interdum remuneravit, illi nunquam ivit obviam. Et hoc per notitiam Gallicæ indolis, quæ ſtatim beneficio percepto, de novo cogitat. Suorum facinorum raró, crebrò alienorum infamiâ laboravit. Sæpè eius Artes vicit Fortunæ malignitas, & in eo Fatum Virtutem vltum eſt. In tantâ felicitate naturæ, eminebat omnium exquiſitarum rerum conſortium, quarum nullam factæ ad magna virtutes excludebant. Famam clementiæ moratus eſt, etiam cùm ſeveritas dominationi expediret. Lenitate eò laudis exceſſit, quò plerique per violenta & abrupta inclaruerunt. Certè nullæ innoxiæ Vmbræ

illi pœnas irrogabunt: nulla mala publica nec domestica exprobrari iure poterunt. De Maioribus & Posteris nostris bene meritus, accessione ditionum auxit Imperium, nullâ insigni amissione dehonestavit. In tempora Richelianis diversa incidisse notandum est: Cum Fœminâ & Puero fortes æmulos, acerrimos hostes habuit. Conscientiâ suâ, & Regis amore superbè securus, susceptum temerè bellum fortiter gessit, gloriosè finivit. Cuivis Veterum, altitudine mentis conferendus, inter Victoriæ plausus suo in Triumpho conditus est.

LIBRI VNDECIMI

FINIS.

BENIAMINI PRIOLI
DE REBVS GALLICIS, HISTORIARVM LIBER DVODECIMVS.

Prospicitur ærario laboranti. Hispanus suos coercet Legatos, ne cum Gallis vlterius de primatu contendant. Lotharingus de ditione sua cum Rege paciscitur. Redimitur Dunkerqua ab Anglis. Pontifex reparat damna violati Romæ Gallici Legati. Imperator suppetias petit; & habet adversus Thracas invadentes Pannoniam. Per novum Orbem Gallicum commercium diffunditur.

POST obitum Cardinalis Mazzarini, intimioris admissionis in Consilio Regi adfuere. Michaël Tellerius, Hugo Lioneus, vterque à publicis mandatis & Epistolis, ac Ioannes Baptista Colbertus

ærarij curæ præpositus, virtute & famâ celebres. Nullum certius indicium magni Principis, quam si adjungat sibi, & vtatur viros conspicuos & decoros. Nam omnes statim judicabunt, eum talem esse, quales ij qui apud illum.

Diù jactatum per Aulæ rumores Britannicum Iter, tandem sub finem mensis sextilis Ann. *1661.* in caput Nicolai Fouqueti ærario præfecti erupit, cui à Regio Concilio revertenti carceris necessitas denuntiata est. Deductus fuit in Andegavense Castellum; Illinc Vincennas, & vltimò in Bastiliam arcem. Magnitudo Cladis vota amicorum damnavit, nemine ruinam sustinente, ad quam tanta vis impellebat. Virum ingentis spiritus, facilitas pessum dedit, felicitas occæcavit, (si felicitas dicenda superbæ pecuniæ moderari) nec suam sortem nec blandientium fallaciam satis agnovit, non aviditate æris retinendi, sed donandi; Nullus tamen titubanti fortunæ patrocinatus est. Tam laxè, tantoque circuitu peccavit, vt videretur hoc vnum curasse. Non solum illi hæc

larva illusit, sed eadem imago pluribus imposuit. Quotusquisque ex his plagis evasit, aut non aliquid pennarum, ad hunc viscum reliquit, femineâ etiam libidine ad aurum tam effusum exerrante. Rex nihil sævè nihil immaturè decernens, captivo tempus elargitus est, quo errores suos & alienos in compendium mitteret. Tribunal erexit, ex selectis ab omni Galliæ Senatu viris probis, ne paucitate potestas corrumperetur. Quæsitores illi fuere pecuniæ publicæ expilatæ, quæ vorago, quis gurges detectus. Voluit Rex Iuvenis suo fisco inclinare culmen. Coercitione opus erat, etsi sera; Nulla tamen fuit pœna præter exilij, quo Fouquetus mulctatus est. En ludibria vitæ, & jactationes, quibus nihil vsquam per vllam sapientiam certi, in ludibrico culmine & fastigio aulæ. Difficile in omni genere vitæ, ita se gerere, ne impingas, & magnum naturæ donum est valere sensu communi ac fortunam reverenter habere.

Cadente Februario, Rex Senatui interfuit, vt ejus decreto conditiones pactionis

Anni 1662.

cum Carolo Lotharingo initæ, firmarentur. Earum Sententia talis erat. *Carolum Lotharigiæ Ducem Prole orbum, ſponte, nulla vi adactum, Ludovico Regi Galliarum conferre omne jus ſuum in Lotharingicum & Barrenſem Ducatum. Eundem Carolum ſuperſtitem, vtrique ditioni per ſupremam poteſtatem imperaturum; Liberis ſubditis ab omni novo vectigali & tributo. Integrum Regi, quam primum Marſalium pro libitu munire. In Germania, in Belgio, in Comitatu Burgundico, non poſſe laceſſi impunè Ducem, Rege defenſuro. Acceſſionem tantæ ditionis adoptione in Regiam ſobolem, penſari, Poſt Auguſtam Borboniorum ſtirpem; Lotharingiæ Principes in ſanguinis Regij jura promoveri; Non poſſe tamen quaternarium numerum excedere, qui ex ea Gente publicis actibus intereſſent. Hæc omnia tantaque, ea lege, vt qui ſe editos tali proſapiâ jactant, ſubſſcribant omnes, irritis alioquin Pactis.* Tali freno coercita nimium nota, audacis domus ſuperbia; Sermo non fuit vnus, ſuper re tanti momenti. Publica vox improbavit. Non aſſenſere cordatiores, Aula bipertita; Effuſi in

obſequium, vt mos eſt, Regis prudentiam, laudibus efferre. Auſteriores ſuſpenſis verbis damnare. Seguierius ſuas Cancellarij partes agens in Senatu, Regis acta accommodatâ oratione proſequutus eſt; In ſecretiori Conſilio, non fraudavit fidem debitam; *Sanguinem Regium non transfundi in alienigenas venas; Periculoſum adoptari, de Regno auſos contendere, præſentem Regis fortunam extra omnem aleam imminentia & futuros caſus ſupra Regiam omnem poteſtatem, inſidioſa pacta ordines Regni æternum damnaturos, Cum de ſucceſſione Regni agatur, non niſi eorum conſenſu valeſcere. Nec Reginæ fœcunditate, nec Regis ætate florente, Talia inniti; Numeroſam ſtirpem Regiam non ſemel viſam derepente ſterileſcentem. Modum non poſſe imponi Vindocinenſibus & Longavillanis querelis quibus faveret omnis Nobilitas, indocilis ferre juga peregrina. Hæc niſi facta non probari, non potuiſſe tamen ſibi temperare, quin pro ratione, Muneris audacter quidem; Sed modeſte, judicio Regis omnia ſubmitteret.* Lioneus pauca ex tempore regeſſit. *Parum Regis intereſſe, quid poſteri decertarent, ingentem acceſſionem chimerâ emi. Ne-*

fas esse de Borbonidum æternitate dubitare. Res igitur peracta, autoritate Regis præponderante, frustrà Vindocinensibus, Longavillanis, & Courteniacis reluctantibus. Hi tamen primis motibus temperavere, de Caroli penitentia, & ejus nepotis cognominis in Germaniam secessione certiores facti. Quis futurus sit exitus, à tempore expectandum.

Europæ primarij Principes ad Carolum Britanniæ Regem, stabiliendæ auctoritati nondum adultæ, Ministros suos delegaverant. A Sueco missus Comes Brahus dum ingressum parat Londinum VI. id: oct: Anni proximè elapsi, inter Estradam Galliæ, & Batavilleum Hispaniæ Legatum; oborta est contentio, de ordine servando in rhedarum processu: Batavilleus Fœcem Londinensis plebis, quâ ad seditionem nulla paratior, pretio sibi redemit, vt suo regi aliquam, vel semel, in Gallos laureolam pararet. Ergo die dicto ignobile vulgus in satellitium Estradæ desævijt; trucidatis cum aurigâ equis, ac nonnullis & famulitio. Liber campus Hispanis remansit. Angliæ Rex

Angliæ Rex, invidiam reiecit in plebem, quam coercere non sibi integrum per regni novitatem. Incubuit Batavilleo soli, Regis Galli indignatio. Plus nobilis iræ non aliàs apparuit; Tali cardine quidquid prudentia suggerit, accensus Princeps spernit, in solam vindictam præceps. Comitem Fuensaldagnium aulâ extrudit, nihil iuvante viri integritate, ductoris Regiæ Coniugis, quæ Pacis pignus. Caraceno etiam præfecturâ Belgii defuncto, in Hispaniam reditum paranti, Galliæ aditum negavit: Et quasi his, irato Regi, non fieret satis, Iubetur Ebrodunensis Archiepiscopus, qui Madriti tunc nomine Regio degebat, non solum ab ipso Philippo exigere, vt reus Batavilleus, ex facti atrocitate plecteretur, sed vt in posterum omnis de primatu contentio amputaretur, Actu publico sanciendam abdicationem Hispanicam, ab omni prærogativâ. Vix concoquit ferox Hispanus, & dum deliberat, Gallicus Legatus domi se continet, publicâ personâ depositâ, tanquam se omni magistratu exuisset. Præpon-

deravit paternus amor. Philippus Regiæ dignitatis immemor induit genitorem, non inglorium putans illi cedere, cui viscera cessisset. Ne autem per inane periret consensus Hispanicus, celebri legatione firmandus fuit. Marchio Fuentus, ad id delectus, magno comitatu Lutetiam adventat. Rex tanto actui gloriam circumdaturus, Apostolicum Nuncium, Venetiarum, Sueciæ, Sabaudiæ, Fœderatarum Provinciarum Legatos, & quidquid Ministrorum exteri Principis, interesse voluit, admixtis Regni proceribus, Cancellario, & quatuor viris ab Epistolis, Vt in actus referrent. Fuentum vsu rerum & varijs Legationibus exercitum, tanti coetus splendor non perculit. Illam frequentiam non tanquam testem imminuti decoris, In gloriam vertens; Sic Regem alloquutus est. *Cum Regi Domino meo, nihil magis insideat, quam conjuncti sanguinis jura sanctè colere; Huc me delegavit ea firmaturum, quæ præsens ore sancivit. Personam ejus hodie sustineo, non repræsensans Regem cedere nescium, sed Patrem, cujus tensus, sola natura inflectit. Æquum illi visum*

eſt, fugaces honores, & quibus tamdiù aſſuevit, ſponte tibi relinquere, cum mors de illis, brevi factura ſit arbitria: eos appetere ætati tuæ decorum, Iuvenili ambitioni non invidet ſenex; Et ſocer. Altius quam te penetravit Londinenſis atrocitas, Non potuit efficacius elevaſſe, quam animadverſione in auctorem; Revocaſſe Batavilleum, inflictæ pœnæ publicum indicium eſt. Sed quid his, potuit aſtrui majus, quam caviſſe per ſevera mandata, ne Legati ſui impoſterum cum tuis de primatu certent. Hæc eſt ſumma caputque Legationis, quam eo libentius ineo, quòd inde ſancita pax corroboratur. Vtinam caneſcat ſeculis innumerabilibus. Rex debito honore lætatus, dictis annuit, totum Hiſpanicum faſtum ſibi, cum eorum obſequio retinens, Legatos monuit, vt facti velint eſſe memores, & principibus ſuis viſa, & audita nuntient. Soluto cœtu Ludovicus major apparuit.

Poteſt & dici ſine ſanguine victoria, cum Rex ab Anglis Dunkercam præſenti & numeratâ pecuniâ ſibi redemit. quid refert auro, an ferro, tam firma tam valida munimenta

accedant, & Gens ſub Neptuni regno, excludatur à Continenti.

Eodem Ann. *1662.* Ianſeniſtarum dogmata ab Innocentio X. & Alexandro VII. damnata, Rex per Decretum abolenda curavit. Nova Secta nomen ſortita eſt, à Cornelio Ianſenio Yperarum Epiſcopo, qui circa annum hujus ſæculi quadrageſimum, de Gratia & Libero Arbitrio Librum edidit, quo affixiſſe creditur, Auguſtino, ſenſum alienum mente Doctoris; Sed contineo me, intra meos fines, nec illa alta ſcando, Ne, vt imperitus tegulandi, è ſublimi cadam ridendus. In meliore mundi parte, quas faces non accendit prurigo de Religione diſſerendi! Cauſam his dat & dedit & dabit, humana levitas, cujus nullum certius argumentum, quam litigare de Rebus ſacris; Animi morbus eſt de deo ſuperfluè quærere: Sed quid agamus; malunt Theologi diſputare, quam vivere. Laudabile, variam & Miſcellam Religionem & Novatores, quia impellere poſſunt ad Mutationem, coercere. Rex prudens antiquum cultum debet omni vi tueri, immò potiùs

quam cognoſcere, Iure à Deo proximus cenſetur, per quem ejus Majeſtas vindicatur; Suadenda tamen fides, non imperanda.

Non minus fortiter injuriam Crequio Legato ſuo, Romæ inflictam, Rex vltus eſt, quam Londini Deſtradio illatam. Peſtifera Res contemptus Regnis, quorum anima auctoritas, & eximia opinio de Imperante. Contemptus autem eſt, Impreſſa ſubditis & Exteris, vilis abjectaque opinio, de Principe eiuſque ſtatu, per quem iacet ſolii Maieſtas, Nam ab odio paucæ, à Vilipendio omnes euerſiones, pluſquam vllus Regum antiquorum & recentiorum vindicavit ſe, ab illo LUDOVICUS XIV. qui nec ipſi Papæ pepercit.

Cirneus miles, cuſtodiæ Pontificis appoſitus, obtentu vilis Iurgii cum Crequii Legati Galli aſſeclis, exploſione Sclopetorum, feneſtras ejus infenſare, Rhedam Vxoris domum redeuntis adoriri, & omni proterviæ genere graſſari, proculcatâ Legationis ſanctitate. Crequius inultus Româ diſceſſit. Corſenſes triumphare. Galliæ, Rex Avenione

Vrbe Pontificiâ, sui iuris factâ, extrema minatus, exercitum in Italiam parat. Post varias tractationes, Pisis conventum, *Vt placando Regi; Cirnei æterno ab Vrbe Româ exilio mulctarentur; Pyramis extrueretur gestæ Rei æternum monumentum; Sed, quod caput est, Legatus à latere ad Regem mitteretur, qui Verbis obsequiosis, facti atrocitatem dilueret.* Quod peractum decorè à Nepote Pontificis, Chigio Cardinali.

Tranquillitatis Galliæ Rebus, domi Rex verendus, foris formidandus, intentos habet oculos in omnem Europam, vt parti injustè aboranti statim opituletur. Ecce derepente Pannoniam intrat Asiæ Tyrannus; Imperator Leopoldus implorat Galliæ auxilium. Statim immittitur, Collinio militiæ duce. Iterum Gallica Vexilla miratus est binominis Ister. Pugnatur strenuè adversus Thracas, & Rege Vires suas & suos divos præbente, sancita Pax, aut Paci similes induciæ. Redux victor exercitus nudos acinaces Lutetiæ ostentavit Musulmannis detractos.

Mercaturæ gloria addita, pecuniâ providè ad id paratâ. In occidentis orientisque tractus diffusa potentia, Mari vndique libero aut commercijs juncto. Vt autem omnis regiminis ratio adjumentum desiderat, tantæ curæ subsidium Regi, Ioannes Baptista Colbertus, quicquid publicè salutare non est, primatim alienum existimans, altâ vir indagine. Catenatam videmus rebellionem, luxum domitum, expilatores publicæ pecuniæ attonitos. Bene agendi omnibus aut incussam voluntatem, aut impositam necessitatem. Nam recta facere subditos suos, Princeps faciendo docet, cumque sit Imperio Maximus, exemplo major est, ac nemo queritur nisi de ejus magnitudine, qui spes metusque populorum.

Hîc desinit Ann. 1664. & mea Historia, cum novo è cœlo ostento. Cometem vocant, nemo non scire cupit, vtrum debeat mirari, an timere. Non desunt qui significationes ejus graves prædicent. Ita

compositi sumus, vt nos quotidiana, etiam admiratione digna transeant, contra minimarum quoque rerum, si insolitæ prodierint, spectaculum fiat.

LIBRI DVODECIMI
ET VLTIMI
FINIS.